297.89
B456

RELATIO

QUAM

PHILIPPO IV CATHOLICO HISPANIARUM REGI

PER MODUM

MEMORIALIS SIVE LIBELLI SUPPLICIS

EXHIBUIT

P. FR. JOANNES DE SANTANDÈR

ORD. FRATRUM MINORUM

COMMISSARIUS GENERALIS INDIARUM

PER MANUS

A. R. P. F. ALPHONSI DE BENAVIDES

EJUSDEM ORDINIS

CUSTODIS PROVINCIAE NOVI MEXICO

NEC NON S. INQUISIT. COMMISSARII

Property of

CBF

Please return to

Graduate Theological

Union Library

AD CLARAS AQUAS

PROPE FLORENTIAM

EX TYP. COLLEGII S. BONAVENTURAE

1895.

Proprietas litteraria.

LECTURIS SALUTEM.

Praesens libellus, lector benevole, de incolarum Novi Mexico ad fidem CHRISTI conversione, inscriptus, ex hispanica lingua, ut illum P. Alphonsus Benavides exaraverat, in latinam translatus est per P. Joannem de Cranendonck, provinciae Argentinae eruditum filium; quem, dum anno 1627 Romam peteret, Ferdinandus Elector Coloniensis, datis ad Franciscum cardinalem Barberini litteris, impense commendabat (Cod. Barberin. XXXI. 50 fol. 147). Libellus mole quidem non magnus (158 paginarum in 8°), sed edocenti argumento utilis et jucundus, Salisburgi anno 1634 impressus, Paridi tunc regnanti archiepiscopo Salisburgensi dedicatus fuit. Ad calcem libelli

editionis Salisburgensis additae sunt per P. Cranendonck duae epistolae celeberrimi fratris Martini de Valentia anno 1531 ad Rmum P. Matthiam Weinsen, Ord. Minorum tunc generalem Commissarium cismontanum datae, quae cum alibi habeantur impressae (conf. Joan. a S. Anton. Bibl. francisc. II. p. 341.), eas praetermisimus. Exemplum versionis P. Cranendonck diu et sollicite quaesitum tandem in bibliotheca conventus nostri Salisburgensis per eruditum virum R. P. Fridericum Raffl, guardianum, inventum et nobis perhumane submissum est, cui sinceras agimus gratias. Tandem obtentis Reverendissimi P. Aloysii a Parma, dignissimi totius Ord. Ministri Generalis permissu et benedictione, idem exemplum prelo, apud confratres nostros ad Claras Aquas in Thuscia, commisimus.

Hoc libello ingenue enarrantur ea, quae Dei misericordia per humiles filios S. Francisci operata est in spirituale bonum illarum gentium, et quidem inde ab anno jam 1597, quo dicti Franciscani ex provincia S. Evangelii Veteris Mexico ad partes Novi Mexico concesserunt.

Anno 1622 erecta est custodia Novi Mexico (1), a S. Paulo dicta, cui cum potestate Custodis praefectus est P. Alphonsus Benavides,

(1) His diebus, Domino Jesu Christo benedicente et merito S. Antonii, detecta est diffusa et accuratissima Relatio a P. Commissario generali de statu missionum nostrarum Americae tunc Hispanis subjectae, ad Franciscum Cardinalem Barberinum, eo tempore Ordinis Protectorem, facta circa annum 1637 (Cod. Mss. Barberin. XLIII. 160. fol. 182-219.), ex qua pro ampliori notitia eorum, quae in praemissis sunt dicta, notamus:

a) Ab ingressu Fratrum Ordinis nostri in *Novum Mexico* usque ad annum 1623 ultra 30 millia Indianorum per eosdem Fratres ad fidem Jesu Christi conversos fuisse.

b) Custodiam *Novi Mexico* a S. Paulo denominatam fuisse ideo, quia cum beatissima Virgine Maria et ipse gentium apostolus S. Paulus quadam vice Hispanis aeque ac Indis apparuerit. « Glorioso Apostol S. Pablo « por haver aparecido en el dia d' esta su festividad in « compania dela virgen Maria nostra señora visible- « mente en la conquistar victoria de ynespugnable Pe- « ñol de Acoma favoreçiendo a los Españoles confes- « sando todos los Yndios haver sido rrendidos (sic) i « bençidos por el glorioso apostol en a quel dia armado « en en caballo.... ».

c) Secundus Commissarius Novi Mexici P. Franciscus de Escovar cum socio P. Joanne de S. Bonaventura detexit mare « Zur ». P. Franciscus Elasco cum P. Petro de Bergara detexit regnum « de Quivira ».

d) Tres Fratres nostri primis annis ingressus in dictum *Novum Mexico* martyrium pro Christo fortiter subierunt. P. E. F.

vir gravis, zelo dilatandae fidei, pietate et doctrina insignis. Quo moderatore, quantos haec conversio infidelium fecerit progressus ex attenta libelli lectione jucunde percipies; nostrum sit adferre tantum: anno 1629, benedicente Domino, numerum conversorum 500000 excessisse.

Cum fide in Jesum multa etiam alia temporalia emolumenta adeptae sunt nationes Novi Mexico, quae fide illustratae, spretis superstitionibus, magistris et hortatoribus missionariis, sensim civili et humaniori vitae assuescere coeperunt; cum enim essent adhuc rudes, feroces atque passim quaquaversus sine fixis sedibus vagantes, fratres nostri missionarii eos primum in societatem contraxerunt; et dein erectis ecclesiis, monasteriis atque scholis, non modo doctrinam fidei eos docebant, sed insuper et legere, scribere, cantare, pingere, domos construere, agros colere, aliaque opificia, quae hominibus in societatem adunatis necessaria videbantur. Ut vero familiis rite prospiceretur, polygamia sublata, monogamia ad mentem Ecclesiae ubique praecepta inter eos induci coepit cum fructu plerumque uberrimo. Paulatim

penes ecclesias et monasteria dabantur initia pagorum, ex quibus temporum decursu oppida et urbes exortae sunt. Itaque cum veritate evangelica familia est ordinata, societas firmata, vita civilis introducta, atque nationes illae, DEO sincere devotae, sub sancto fratrum in spiritualibus passim et temporalibus gubernio, prosperos faciebant progressus.

In libello memoratur venerabilis Ludovica Carrion, de qua et P. Cranendonck in sua praefatione, quae genti in primis Humanae apparens suaserat, ut nomen JESU CHRISTO darent; traditio vero in praesentiarum adhuc in America australi et Hispania vigens innuit: ven. Mariam de Agreda esse, quae Humanos, ut CHRISTI fidem amplecterentur, hortata fuisset, qua de re scribit fr. August. Bethancurtius (Ventancurt) in suo Theatro Mexicano tom. III. 1. cap. III, quem refert eruditissimus Missionum franciscanar. auctor P. Marcellinus da Civezza vol. VII. Part. II. p. 472; sed et ipsa venerabilis Agreda in epistola (Bibliot. franciscana Joann. a S. Anton. II. 325.) edita 1631 hanc suam « *missionem in provinciis Novi Mexico* » recenset. Unde pronum fit

concludere: DEUM utraque moniali in dilatatione sanctae fidei quandoquidem usum fuisse. Ceterum asserente P. Marcellino loc. cit., secundum versionem praesentis libelli gallicam, quam ille prae manibus habuit, videtur potius B. Virgo MARIA fuisse, quae in habitu monialium Humanae nationi apparuisset.

Quod Patrem Benavides attinet, incertum est num patria Hispanus an vero Mexicanus fuerit; ab ipso praecitato Bethancurtio l. c. etiam gratis asseritur Benavidem ad sedem archiepiscopalem Goae in Indiis orientalibus evectum fuisse, cum nulla afferat documenta et satis diu post tempora Benavides scribebat, nempe 1698 (Biblioth. franc. I. 151.). Ejus vero zelum, prudentiam ac eruditionem testatur non modo Relatio praesens, sed et altera epistola gravissima, quam dederat « *ad missionarios Ordinis in Mexicana conversione S. Pauli* », Matriti an. 1631 impressam. Demum scripsit et *Historiam generalem conversionis,* de qua in Relatione de natione *Moqui* scribens haec notat: « *similia miracula... relaturus in historia generali illius conversionis, quam* DEO *juvante in lucem edere intendo...* ».

P. Joannes Santandér, qui ut Commissarius Indiarum generalis promovendae conversioni, in nostro libello enarrandae, multum contulit, fuit filius observ. provinciae Cantabriae, ubi per 15 annos philosophiam et theologiam docebat; suae provinciae primum Custodis, dein bis Ministri provincialis, demum Definitoris generalis munere egregie functus est (Monumenta obs. prov. Majoricar. Mss. pag. 19.). Anno 1631 cum generalem Indiarum Commissarium ageret die 10 Februarii in consistorio secreto Romae praefectus est ecclesiae Majoricensi in episcopum (Cod. Mss. bibl. Barberini XXXVI 23.). Cum dictam insulam Majoricarum non modo ut episcopus, sed etiam auctoritate Pro-regis prudentissime gubernasset, cujus elogia in memoratis monumentis notantur, vir sanctitate vitae clarus piissime obiit in civitate Majoricensi die 24 Januarii anno 1644, sepultusque est in ecclesia fratrum conventus S. Francisci (Mon. cit. p. 20.).

Vale, lector benevole, sacras missiones Ecclesiae catholicae tuis precibus et charitati commendatas, velim, habeas.

Fr. Eusebius Fermendzin, M. O.
Annalista Ordinis.

PRAEFATIO AD LECTOREM.

Necessario praemittenda, pro intelligentia aliquorum in subjuncta narratione contentorum.

Audivi, benigne lector, grave seraphici nostri Ordinis Patres, aliosque viros praeclaros, saepe improbantes, eorum quae in ecclesia catholica, pro ejusdem dilatatione, ad DEI gloriam, per filios S. Francisci, Fratres Minores in utroque hemisphaerio fiunt, tam parvam haberi notitiam; et quod, qui plerumque in conversionibus infidelium (nominatim Indicis) fuerunt, si non soli, saltem primi, innotuerint ultimi. Hoc ipsum mihi Romae, anno 1627 a quodam magni nominis praelato, qui ad sacram Congregationem de Propaganda fide pertinebat, in terminis fuit objectum. Idem fere contigisset de contentis in subjuncta narratione nisi anno 1631 in Belgio existens, casu in illam, hispanice conscriptam, incidissem, occasione colloquii, quod in conventu nostro Bruxellensi habebam cum Rmo Patre F. Petro a Castro (Serenissimae Infantis Isabellae Clarae

Eugeniae, gloriosissimae memoriae, tunc temporis dignissimo confessario) circa personam venerabilis Matris Ludovicae de Ascensione sive de Carrion, Ordinis S. Clarae religiosae, cujus etiam aliquot annis confessarius fuit. Postquam enim eamdem narrationem sive relationem perlegi, memor decreti, quod a praetacta sacra Congregatione de Propaganda fide, dicto anno 1627 scripto emanarat (quo mandabatur Commissario Generali Ordinis nostri super Provincias Germanicas, Belgicas, aliasque annexas, ut sicut alii religiosi Ordines faciunt, et ipse deinceps curaret, successivis temporibus, de iis quae in materia propagandae fidei per nostros Fratres fiunt, sacram Congregationem certiorari), rogavi praenominatum Rmum P. Petrum a Castro, ut permitteret relationem illam ex hispanica in alias linguas, pro gloria Dei et Ecclesiae, transferri: quod et fecit. Igitur originalis illa hispanica relatio, edita Madriti in typographia regia (ac consequenter praehabito consensu sanctae Inquisitionis) anno 1630 belgico idiomate statim translata fuit, et impressa Antwerpiae cum approbatione censoris librorum, data 3 Martii 1631. Germanice vero, non adeo diu post translationem belgicam reddita, per R. Patrem F. Adolphum Ardolphum hujus nostrae Alemanniae sive Argentinensis Provinciae custodem, qui anno 1632, die 8 Ja-

nuarii, ab impio milite Sueco, antea caupone Württembergico, crudeliter in Württembergia fuit occisus. Hujus vero translationis germanicae exemplar diu postea quaesitum, reperiri non potuit; sicque contigit, tam celebris conversionis notitiam serius in *Germaniam* penetrare.

Habeto igitur modo, benigne lector, in paucis et parvis quaternionibus, multa et magna Dei prodigia, quae per humilia mundoque abjecta instrumenta, Fratres scilicet Minores, inter barbaras et infideles nationes, paucis abhinc annis, et praecipue anno 1629, operari dignatus fuit Omnipotens; prout fidem faciet subjuncta narratio, vel potius Relationis, moderno Hispaniarum Regi antehac exhibitae, belgiceque redditae, quasi ad verbum (quantum phrasis patitur) ac proinde coacto ac tetrico stylo facta translatio. Quia vero in aliquibus ejus locis, nominatim § de miraculosa conversione nationis Xumanae, mentio fit supranominatae venerabilis Matris Ludovicae de Carrion, quodque ejus effigies, quam Patres habent, non sit quoad faciem similis effigiatae, prout Indis illis passim apparet: informandus breviter est lector, et de personae qualitate et de illius dissimilitudinis causa.

Sciendum itaque in quodam monasterio Ordinis S. Clarae, sito juxta civitatem Carrion in Hispania, regnoque Castellae, reperiri quam-

dam piissimae (ne dicam sanctae) vitae Religiosam, quae Soror Ludovica de Ascensione nuncupatur; Hispani vero, ob ejus reverentiam pietatis, et etiam quia illius monasterii aliquando Abbatissa fuit, La Madre Luisa de Carrion, imo et propter speratam ejus coram Deo sanctitatem, La santa Monia, id est, sanctam monialem, eam appellant. Haec in praesentiarum aetatis 71 annorum, a triginta, plus minus, annis absque ullo cibo humano, solo pane Angelorum, quem in dies sumit, sustentatur, singulisque diebus, statim sumpta sacra Synaxi, in extasim rapitur; qua durante, omnibus eam aspicientibus, multo junior ac formosior esse videtur. Inter cetera autem dona gratuita, hoc a Deo jamdudum habet, ut visibili specie in locis remotissimis appareat, tam communi Ecclesiae et animarum bono, quam particularium personarum solatio, sua praesentia consulens: quod varia experientia, testimoniis fide dignissimis firmata, probatum extitit: unde vix ullus dubitationi locus, quin haec sit illa mulier, quae infidelibus illis, de quibus praesens Historia contexitur, Evangelium praedicat, et ad inquirendos Ordinis nostri sacerrimi Religiosos, pro suscipiendo sacro Baptismate adhortatur.

Ratio vero dissimilitudinis inter personam Indis apparentem et ipsius effigiem, quam Pa-

tres nostri circumferunt, haec est: quod effigies juxta naturalem ipsius constitutionem, et aetatem, qua inter sorores suas versatur, depicta sit; Indis autem sicut in extasi, supernaturali Dei beneficio existit, appareat. Cum vero adhuc in via ad patriam, malignorum spirituum (qui ut latrunculi iter piorum obsident) insidiis sit exposita, oret devotus lector, ut, quae Deo grata modo esse speratur, gratior fiat perseverando in omni bono usque in finem (1). Oret insuper pro augustissima Domo Austriaca, quae sibi parem in Ecclesia pro ejusdem defensione ac dilatatione, habere non videtur. Oret pro potentissimo Hispaniarum Rege, Philippo IV. tam nobili illius Familiae membro, ut nomen Catholici, quod gerit, factis (prout bene coepit) semper exprimat, ne ignominiosum illi fiat. Oret demum pro paupercula Fratrum Minorum Familia, ut Deo fidelis, promissa servando, Seraphici sui Patris Francisci vestigiis insistens, proximi charitate fervens, periculis et laboribus contemptis, Catholicae Romanae fidei propagationi, animarumque Christi sanguine redemptarum saluti promovendae, indesinenter insudet. Vale.

(1) B. Ludovica piissime obiit die 28 Octobris 1636. Vide: Arthur de Monasterio, Martyrolg. Franciscan. Ed. II. Parisiis 1653, pag. 528.

Ut ad gloriam Dei, utilitatem et aedificationem fidelium, haec Relatio praelo mandetur, concedo 17 Augusti 1634.

Fr. Wolffgangus Högner
Minister Provincialis,

MEMORIALE

SIVE LIBELLUS SUPPLEX

Rmi P. F. Joannis de Santandér, Commissarii generalis Indiarum.

Domine,

Ego F. Joannes de Santandér, Ord. S. Francisci, Commissarius generalis Indiarum dico: Quod ex relatione mihi facta per P. Alphonsum de Benavides, Custodem conversionis Novi Mexico, praeterito anno 1626 die 20 Junii Majestatem Vestram informaverim, de magno incremento illius conversionis, et defectu Religiosorum ad illam ulterius promovendam, quae consueto suo (tam catholicum regem decente) zelo *schedulam* regiam sive *Mandatum* expediri praecepit, tenoris sequentis:

Marchioni de *Cerralvo cognato, Proregi, Gubernatori et Capitaneo Generali provinciarum novae Hispaniae* seu personae aut personis pe-

nes quas erit illarum gubernium. Frater Joannes de Santandér, Commissarius generalis Indiarum, Nobis retulit, qualiter ab annis triginta sui ordinis religiosi initium dederunt *Conversioni novi Mexico,* quodque ibidem absque ullo animarum fructu manserint per annos 12, eo tamen non obstante, provincia ejusdem ordinis de *sancto Evangelio* dicta, semper sollicita fuit Commissarium et religiosos illuc destinare.

Item quod abhinc annis quinque in capitulo dictae provinciae *S. Evangelii* missio illa in *novo Mexico* erecta sit in Custodiam ejusque Custos institutus praenominatus F. Alphonsus de Benavides, religiosus bonae vitae et exemplaris, cui per te expeditio sive concessio data est, ut secum alios viginti sex sui ordinis dictae Conversionis cooperatores sumeret, quod et fecit, horum vero in praesentiarum nonnisi sexdecim sacerdotes et tres laicos (ceteris morte sublatis) superesse. Cum vero districtus illius *Custodiae* se ad centum et amplius leucas extendat, viae sint asperae et montosae, populus indicus ibidem satis numerosus ac proinde per tam paucos administrationi illi non possit satisfieri, rogavit, velimus tibi tuisque assistentibus mandare, quatenus alios triginta sacerdotes et aliquos laicos fratres ad dictam *Custodiam* mitti curetis; et quod procedente feliciter illa conversione, de omnibus

necessariis illis per vos provideatur. Hanc itaque petitionem in consilio nostro regio Indiarum mature discussam justam judicantes, tibi praecipimus, ut ad dictam Custodiam *novi Mexico* pro illorum Indorum conversione et sufficienti instructione alios triginta religiosos mitti ac deinceps de necessariis ipsis provideri cures. Haec enim est nostra voluntas. Madrid 15 Novembris 1627.

Itaque juxta hoc mandatum discesserunt eo ex provincia *S. Evangelii* de Mexico anno 1629 triginta boni exempli religiosi cum dispositione ut supra. Quorum triginta praedicatione et exercitiis tot mirabilia et miracula Deus operari dignatus est, totque divitiarum spiritualium et temporalium thesauros per eos detegi permisit, quod visum fuerit Proregi *Novae Hispaniae* et *Commissario generali* earum partium praefatum Patrem *Alphonsum de Benavides* (penes quem directio dictae missionis his praeteritis annis fuit) personaliter mittere, ut ejus informatione eximii et abundantes fructus zeli Majestatis Vestrae, quo vineae Domini in illis partibus de talibus operariis sollicite providit, Ei manifesti fiant; et adhuc in vita praesenti existens incipiat frui infinita mercede, quae intuitu tam sancti operis, in futura *ipsam* manet: nam praeter inaestimabilem thesaurum *quingentorum millium* persona-

rum ad sanctam nostram catholicam fidem conversarum, Vestraeque Majestati subditarum, (quarum ex nunc ultra octoginta mille baptizatae sunt) Deus etiam per detectionem ditissimorum mineralium, sive auri et argenti fodinarum, Eidem etiam temporaliter benedicit. Quandoquidem igitur praefatus pater (emensis prius hoc anno 1630 bis mille sexcentis et amplius periculosissimi ac difficillimi itineris milliaribus) nullo alio fine ad *regiam vestram aulam* destinatur, sitque persona omni fide et favore digna: hinc rogo humiliter *Vestra Majestas* dignetur tam illis, quae verbo, quam quae relatione scripta exponet, diligenter ac benigne attendere; utpote cui meritorum conversionis tot animarum per pauperculos fratres sacri ordinis nostri (Deo principaliter operante) in remotissimis illis partibus factae praecipua pars competit.

Fr. Joannes de Santandér
Commissarius Generalis Indiarum.

RELATIO

PATRIS ALPHONSI DE BENAVIDES.

Dominé,

Ego Fr. Alphonsus de Benavides, Ordinis Fratrum Minorum, Custos Conversionis et Custodiae novi Mexico.

Dico. Ea, quae facta sunt in Regno illo, vel potius *Novo Mundo,* per *Fratres Minores* ad Deum, (gratia sua mediante) converso, et Vestrae Majestati subjugato (nulli enim hactenus aliorum Ordinum Religiosi, aut alii ecclesiastici viri, eo penetrarunt) tot esse et talia, quod illa una vice aut compendiose referre, omnino non possem, sub auspiciis enim *Vestrae Majestatis* ejusque protectione, et munificentia (Deo utique per nostros Fratres operante, ipsorumque facta miraculis plurimis approbante) infinitos illis in partibus thesauros et spirituales et temporales invenimus; unde *Proregi Mexicano,* meaeque sacrae Religioni visum fuit, mihi hanc Provinciam committere,

ut Majestatem Vestram personaliter accederem, tanquam qui conversioni illi multis annis praefectus, exactam omnium *Ipsi* informationem dare potero, et si in relatione scripta aliquid brevitatis ergo omissum foret, verbo supplere, horis quibus mihi Vestra Majestas benignam dignabitur concedere audientiam. Habebo autem pro magna parte remunerationis laborum et periculorum tam vasti itineris (quod Deo propitio ad suam gloriam feliciter peregi) si saltem ea, quae illic contigerunt, ad notitiam V. Majestatis devenerint, *Ipsique* innotescant merita et suffragia, quibus participat in novo illo suo Regno, hinc ad minus bis mille sexcentis milliaribus distante, quae praesenti anno 1630 non absque immensis laboribus summisque periculis peragravi. Omnium vero molestiarum oblitus, prae consolatione, quam ad pedes V. Ma. haurio, narrationem aggredior.

Nationes, quae habitant in itinere versus Novum Mexico.

Regnum novi Mexico situm est 400 milliaribus ultra civitatem Mexico versus Septentrionem, ad altitudinem 37 graduum; licet vero incolae habeant in illo loco suas habitationes, districtus tamen eorum incipit 200 milliaribus a dicta civitate Mexico, videlicet in valle S.

Barbarae, ubi est ultimum oppidum Novae Hispaniae ab illa parte: divisio autem duorum Regnorum fit per flumen Conchos, ita dictum a natione Concha ibidem vicina; ab hoc flumine usque ad *fluvium Septentrionalem* sunt centum leucae itineris, quod summis periculis conficitur propter inhabitantes nationes, scilicet: *Tobosos, Tarahumares, Tepeones, Tomites, Sumas, Planos,* et alias, omnes valde crudeles, barbaras et indomitas; incedunt nudi omnino, domibus carent, terram non colunt, vivunt ex venatione omnis generis animalium, etiam immundorum; mansiones suas mutant ab uno monte vel rupe in aliam: levissima de causa suscitant bella intestina, occiduntque se invicem instar bestiarum. Arma ipsorum sunt arcus et sagittae, communia omnibus illis nationibus. Quando illac transimus cum parvo comitatu aggrediuntur nos, inferuntque mala quae possunt: proinde non minus quam duodecim equitibus bene armatis transire possumus, et quidem adhuc cum cautela; hinc in noctis crepusculo construimus ignes in aliquo loco, ut putent nos ibi velle pernoctare, et transimus beneficio noctis quam possumus longissime: si vero de die vident nos frequentiori comitatu stipatos transire, tunc noctu insidiantur nobis: ita quod a tempore detecti Novi Mexico nunquam absque aliquo conflictu haec

centum milliaria transiri potuerint; Deo tamen propitio semper Hispani superiores evasere. Omnem adhibuimus conatum ad pacificandas et convertendas has nationes, tam pro animarum suarum salute, quam viarum securitate procuranda, adeo tamen sunt sylvestres, quod nullum alloquium admittant: Deus tempus suae conversionis promovere dignetur.

Natio Mansos dicta ad ripam fluminis septentrionalis.

Transitis his 100 leucis, venitur ad famosum Septentrionale flumen, sic dictum, quia a septentrione profluit; hujus fluminis ripa ad longitudinem centum leucarum, antequam ad Novum Mexico pertingatur, inhabitatur a Natione quam nos communiter *Mansos* vel *Gorretas* vocamus, quia taliter crines in capite componunt, ut parvo almutio (hispanice *gorreta*) tegi videatur: Mansos vero ex eo dicimus, quod Indi illi experti, si hostiliter nos aggrediantur, canes nostros ipsos invadere et mordere, si vero pacifici aut *mansueti* (hispanice *mansos)* accedant, canes nostros a nobis cohiberi dicendo *Salay;* ipsi nos accedentes, praeveniunt clamando *Salay*, *Salay,* mansos, mansos, hinc vulgariter *Mansos* vocantur. Populus hic similiter domibus caret, sed tuguriola ex ra-

mis confecta inhabitant, terram non colunt, viri nudi incedunt, mulieres ante et retro a cingulo deorsum duabus pellibus cervinis se tegunt. Si putant se nobis posse praevalere, inferunt quicquid possunt mali; sin autem, pacifice nos accedunt, ut cibos a nobis recipiant. Inter paucas personas integram *vaccam*, crudam, cum intestinis, imo et excrementis devorant, instar canum dentibus discerpentes, vel cultris lapideis dividentes, ac immansos diglutientes. Obvii facti nos subinde ad sua tuguria deducunt, ut uxoribus et liberis ipsorum etiam cibum demus, nos reciproce suis cibis tractantes, qui sunt pisces et mures.

Sunt homines pulchrae staturae et fortes. Saepius illis praedicavimus, sed frustra: in ultimo vero meo transitu mihi dixerunt se optare, ut religiosi ipsis mittantur, qui ipsos instruant et baptizent, quod operae pretium erit; praecipue quidem pro salute animarum, pro quibus aeque ac nostris Salvator noster pretiosissimum suum sanguinem effudit; accessorie vero, ut per hoc transitus 200 illarum leucarum securus reddatur, et circumcirca adjacentium nationum conversioni principium detur. Hoc autem facile fiet, mittendo eo 4 aut 5 Religiosos cum 15 aut 20 militibus pro illorum securitate; per quod cessabit necessitas adjungendi alium comitatum mili-

tum, sive Convoy, iis qui (vel Religiosi, vel alii) ad Novum Mexico successivis temporibus mittendi sunt, prout hactenus immensis V. Majestatis impensis factum est. Hoc etiam medio et securitate inhabitari poterunt plurima loca, ubi ditissimae mineralium diversi generis fodinae, et coli fertilissimi agri, qui in illo tractu reperiuntur ac consequenter singulis annis illud iter frequentari; ubi modo defectu securitatis, spatio quinque vel sex annorum in Novo Mexico nihil de natione Hispanica possumus intelligere, donec consuetum subsidium pro Religiosis et ecclesiis de mandato V. Majestatis eo advehitur: quod quidem juxta Ejus decretum singulis trienniis punctualiter fieri deberet, praetereunt tamen quinque vel sex anni absque eo, quod officiales regii de nobis vix cogitent; quanti autem talis expeditionis sollicitatio constet, Deo notum est. Natio haec Mansos optime ad conversionem est disposita; quoties ipsis de Deo loquimur avidissime et cum applausu auscultant; quod nisi baptizentur infernalibus flammis tradendi sint, plurimum apprehendunt: seque multum dolere testantur non esse sibi, sicut aliis nationibus, provisum de Religiosis, qui illos instruant. Omittere non possum quin referam V. Majestati, quid mihi acciderit. In una habitatione illorum *Mansos* erexi crucem altitudine unius

lanceae, dicens ipsis hoc esse signum nostri Dei; quod nos Christiani illud ubique in nostris urbibus et domibus habemus, quodque Deus ad illud signum devote invocatus nobis in omni infirmitate, miseria et necessitate succurrat; quod propterea magnam in illo signo fiduciam ponerent, in suis infirmitatibus devote adorarent et attingerent, si id firma fide facerent, sanitatem recepturos. Mirum, quam multi illorum statim accesserunt genuflexi sanctam crucem tangentes et osculantes, prout me prius facientem viderant: inter ceteros adverti mulierem unam dentium dolore laborantem, magno affectu, ore hiante, dentes suos s. cruci admoventem: aliam partui proximam uterum suum s. cruci applicantem: non habebam tunc interpretem ad manum, per quem mihi successus rei innotesceret, Deum tamen, in sancti verbi sui confirmationem miracula operatum esse plene confido. Non est quidem nostrum nosse tempora vel momenta, quae Deus posuit in sua potestate, ipse enim novit, quando felix haec dies illi nationi illucesceret, magnam nihilominus mihi affert consolationem, quod ex nunc adeo bene ad suscipiendam salvificam fidem sit disposita.

Initium nationis Apache.

Progrediendo itaque versus Septentrionem triginta milliaribus a natione *Mansos,* occurrit praeclara natio *Apache,* quae ab hac parte vocatur hispanice *Apache del Perillo,* eo quod per aliquem, forsan ita nominatum, illic detectus est aquae rivus, valde utilis et necessarius, antea enim aquae defectu difficillimum illac multis milliaribus iter erat: et sic remansit illi provinciae nomen *Apache del Perillo.* Hujus provinciae ampliorem inferius faciam mentionem, est enim maxima: et quamvis incolae sint bellicosi, quia tamen humaniores sunt praeteritis nationibus, minori periculo per illam transitur, donec denuo ad fluminis Septentrionalis ripam pertingitur, ubi incipiunt mansiones *Novi Mexico,* ordine sequenti.

Provincia et Natio Piros, Senecu, Socorro, Sevilleta etc.

Ab hac itaque ripa dicti fluminis Septentrionalis incipiunt primae mansiones provinciae sive nationis *Piros;* multa sunt inibi oppida, quorum domus ex latere non cocto constructae sunt, habentes unam aut alteram contignationem cum porticubus versus plateam:

incedunt incolae vestiti; Respublica regitur a capitaneis; sunt insignes agricolae; copiosa illic venatio cervorum, leporum, cuniculorum; fluvii vario piscium genere abundantes, terra fertilissima.

Haec provincia, licet prima illius regni, fuit tamen inter ultimas conversa. Placuit tandem DEO, ejus habitatores anno 1626 verae fidei luce illuminare, meque tamquam instrumento illius conversionis uti: cujus efficaci cooperante gratia contigit, quod primo anno omnes baptismum susceperint, et etiam nunc ferventes in catholica fide perseverant; praecipuum illius provinciae oppidum consecravi in honorem B. VIRGINIS Auxiliatricis, hispanice *del Socorro;* tres in eadem conventus, una cum ecclesiis erexi: primum in oppido Senecu in honorem S. Antonii de Padua; secundum in oppido Pilabo, B. VIRGINI Auxiliatrici sacrum; tertium in Sevilleta S. Ludovico, ordinis nostri episcopo, dedicatum.

Non abs re erit Majestati Vestrae breviter insinuare initium, quod habuit hic locus Sevilleta. Erat per praeterita bella ab aliis nationibus devastatus incendioque plane absumptus, incolae vagabantur in montibus et rupibus; his denuo mea opera eo collectis, aliisque aliunde advocatis, locum restauravi, estque hodie ex melioribus, quae Majestas V.

illis in partibus habet, nostri vero nomen illi *Sevilleta* imposuerunt. Quilibet horum conventuum plura oppida circumjacentia sibi commissa habet, quorum habitatoribus fratres nostri zelose, ac sollicite invigilant et ministrant. Quae mihi in illius provinciae conversione acciderunt, frigus, aliasque miserias, quas passus sum, labores quos subivi, brevitatis causa praetereo, Deo omnia committens, in cujus honorem animarumque salutem facta sunt.

Auri et argenti fodinae apud B. Virginem Auxiliatricem.

Provincia illa fodinis auri et argenti aliisque pretiosissimis mineralibus abundat, praecipue *in colle Auxiliatricis,* qui locus est principalis provinciae *Piros:* verguntque a septentrione versus meridiem, ad tractum plus quam 50 milliarium. Pro tanta benedictione temporali, Deo, humiles servi et oratores V. Majestatis, saepe immensas egimus gratias, quod ei, ecclesiis et conventibus fabricandis infinitisque aliis rebus, necessarias expensas et media subministret. Nos opera viri cujusdam, in simili materia versatissimi, thesauros hos (quibus in orbe vix majores esse putem) Deo praecipue juvante deteximus: illorum tamen fruitione, defectu personarum illis eruendis ne-

cessariarum, Majestas V. hactenus frustratur. Majori facilitate minoribusque expensis erui poterunt mineralia ex his fodinis, quam ex quibuscumque aliis universarum Indiarum, eo quod tam materialia labori, quam sustentatio laboratoribus necessaria, illic ad manum sint, quae alibi (immo et ipsa aqua) longe petenda, quibus major pars thesaurorum hauriendorum insumitur. Posset quidem timeri, quod Indi illi, recens conversi vel convertendi, advenientibus pluribus hominibus illis laboribus deputandis, terrebuntur, suasque habitationes deserentes, prae timore alio se conferent: tum nihilominus hujus operis directio committatur personis discretis, quae incolas bene tractent, ipsis condescendant, segnius laborantes non nimis urgeant (saltem in principio), debitamque laboribus mercedem exacte persolvant, quod non solum non abigentur, quin potius allicientur ad tractandum et communicandum nobiscum, immo videntes se bene haberi, et bonum stipendium sibi persolvi, ultro ad laborandum se offerrent, et sic familiaritatem nobiscum contrahentes, facilius possent in subjectionem Majestatis Vestrae redigi. Curavi diversorum colorum metalla, ad bonam satis quantitatem, extrahi ex dictis fodinis, praefectisque fodinarum in Nova Hispania offerri, qui reperientes tam esse praestantia, quod alia Indiarum mi-

neralia valore longe superent, petita et obtenta a prorege (servitium et profectum V. Majestatis zelante) licentia, se ad iter versus Novum Mexico, cum numero operariorum, accingunt. Provincia haec *Piros* ascendendo juxta flumen Septentrionale, a loco S. Antonii de Senecú usque ad S. Ludovicum de Sevilleta, in spatio 15 milliarium, habet 14 oppida ab utraque fluminis ripa, et in iis sex mille habitantes, omnes baptizatos, ac tres conventus, ut supra dictum est; quorum Religiosi incolas non solum in rebus fidei instruunt, sed et eos docent in scholis: legere, scribere, cantare, aliasque artes vitae politicae necessarias.

Natio Toas.

Ulterius ascendendo juxta dictum flumen incipit natio *Toas,* quae in 15 aut 16 oppidis in spatio 12 vel 13 milliarium consistit; habentque moratorum septem millia plus minus, qui omnes sacro baptismatis fonte sunt abluti; in illis duo sunt conventus, videlicet S. Antonii de Sandia et S. Antonii de la Isleta, et scholae in singulis, ubi similes artes liberales docentur. Ecclesiae illorum conventuum sunt valde pulchrae et curiosae, ex industria Religiosorum, qui eas construi curarunt; habentque praeterea singuli pagi singulas ecclesias, valde pulchre dispositas.

Natio Queres.

Quatuor milliaribus ulterius occurrit natio *Queres,* quae ultra decem milliaria se extendit, consistitque in septem oppidis (quorum primum S. Philippi nomen accepit), in quibus moratores (omnes baptizati) circiter quatuor mille, et tres conventus cum pulcherrimis ecclesiis; habentur nihilominus in locis ubi conventus sunt, uti et in singulis oppidis, templa specialia pro usu populi. Hi Indi sunt valde exercitati in legendo, scribendo, instrumentisque musicis pulsandis opificiisque variis, instructi a Religiosis, qui illos converterunt ad fidem, estque terra ibidem valde fertilis omnis generis frugum.

Natio Tompiras.

Declinando a flumine Septentrionali versus orientem, decem milliaribus a Natione praecedenti, inchoatur Natio *Tompiras,* habens in tractu milliarium 15 aut circiter, oppida 14 aut 15, templis pulcherrimis instructa (quorum quod primo occurrit *Chilili* nomen accepit), habitatores vero ultra decem mille; horum major pars ex nunc sunt baptizati, reliqui (conversi quidem) catechizantur, artibusque, ut su-

pra, imbuuntur a nostris Religiosis; quorum sunt ibidem sex conventus perinsignes, cum templis et scholis optime constructis: terra quidem propter intensum frigus et aquarum penuriam non valde frugifera, sed salinis praestantissimis dives. Operae pretium erit hic referre lepidam historiam quae accidit, dum conversionem magni oppidi Xumanas, quod S. Isidoro Archiepiscopo Hispalensi dedicavi, inchoarem. Contigit igitur quod quidam magus, praedicatione verbi Dei convictum populum christianam fidem assumere velle advertens, valde super hoc commotus alta voce exclamaret: Vos Hispani et Christiani, sicut stulti estis, vultis etiam nos stultos facere. Et dum rogarem, in quo essemus stulti? respondit: in eo quod per publicas plateas vos flagellis caeditis, sanguinemque vestrum effunditis: viderat enim aliquibus in locis disciplinantium processiones in hebdomada sancta, et ad similem insaniam etiam hunc populum vultis adigere; his dictis tanquam in furia actus, aufugit, clamans continuo se nolle ita stultum fieri: quod factum omnibus risum movit.

Natio Tanos.

Revertendo denuo Septentrionem versus, peragratis aliis decem milliaribus, devenitur ad

primum et praecipuum oppidum Nationis *Tanos,* quae se ad decem milliaria protendit, habens quinque oppida, 4000 habitantes baptizatos, et unum conventum cum templo speciosissimo, habentque singula oppida proprias ecclesias, ad quos Fratres sacra celebraturi accedunt; adsunt etiam scholae, ubi docent, ut supra.

Natio Peccos.

Ad alia quatuor milliaria versus septentrionalem plagam, occurrit oppidum *Peccos,* ultra bis mille habens moratores; est in eo conventus Fratrum, templumque pulcherrimum ac singularis formae; et quamvis hi Indi pertineant ad nationem *Hemes,* de qua infra, sintque cum illa ejusdem linguae, quia tamen ab hac satis remote habitant, pro speciali habentur natione. Est regio prae nimio frigore parum fertilis, producit tamen *maiz,* quod nos frumentum Turcicum appellamus (Hispani vero *Trigo de Indias* vocant) ad sufficientiam. Sunt homines modo in artibus supra specificatis versatissimi.

Civitas Santa Fé, id est Sanctae fidei dicta.

A supradicto oppido, occidentem versus, ad septem milliaria, sita est civitas *Santa Fé,*

capitalis hujus regni, in qua residet Gubernator, cum 250 Hispanis militibus: defectu tamen armorum, soli quinquaginta sunt bello instructi; et quamvis adeo sint pauci, DEO tamen ita disponente, semper contra Indos victoria potiuntur; adeo enim terrentur ipsorum solo nomine, et sclopetorum ictibus, quod audientes unum solum Hispanum ad suum oppidum accedere, omnes aufugiant; in quo timore ut teneantur, valde rigide proceditur cum illis qui rebelles se exhibent; nisi enim hoc fieret, jam dudum paucos illos Hispanos interemissent, scientes eis non nisi ex Nova Hispania, unde adeo sunt remoti, subsidium mitti posse; sunt vero omnes milites veterani, humiliter et cum bono exemplo inter Indos agentes. Hi non sustentantur ex camera sive Financiis Vestrae Majestatis, sed ponit illos gubernator oppidorum praefectos sive capitaneos, et a singulis familiis recipiunt, loco salarii annui, unam ulnam telae ex gossipio textae, et unum modium maiz, sive frumenti, his miselli se debent alere. Habentur insuper alii septingenti viri, Indi Christiani, in servitio civitatis, qui licet nullum recipiant stipendium, ad omnem nutum gubernatoris debent in campum egredi, quacumque occasione oblata; quod promptissime faciunt, et valde strenue se gerunt. Unum, et quidem praecipuum, huic civitati deerat,

videlicet templum, hinc divina in horreo aliquo peragebantur. Eo igitur tanquam Custos accedens, statim templi fabricae intendi, quod modo, laus Deo, perfectum est; construxi et conventum fratribus nostris, qui, uti alibi, *incolas in artibus tam liberalibus quam aliis instruunt.* Et licet locus sit valde frigidus, est nihilominus totius Novi Mexico fertilissimus.

Natio Teoas.

Procedendo ulterius versus occidentem (repetendo nihilominus flumen Septentrionale, a quo non nihil recessimus) occurrit natio sive provincia *Teoas:* habens in spatio 11 vel 12 milliarium octo oppida, et in illis habitantes 6000 plus minus. Haec natio omnium prima in hoc Regno sanctissimum Baptismi sacramentum suscepit, de quo sibi plurimum gratulatur. Sunt Hispani ipsis valde amici, ipsique nationi hispanicae ceteris fideliores, in quacunque bellorum occasione; in omnibus sunt bene instructi. Singuli pagi habent suas ecclesias, ad quas fratres nostri divina administraturi accedunt, ex tribus conventibus, qui sunt in illa provincia. Regio est magnae fertilitatis, quam auget valde beneficium aquaeductuum, industria alicujus Fratris inventorum, quibus seminata irrigantur. Suppetit etiam

piscium abundantia ex flumine septentrionali illic vicino.

Natio Hemes.

Transito illo flumine, et tendendo versus occidentem, venitur ad nationem *Hemes*, quae eo tempore, quo eo accessi, fuit dispersa per totum regnum, belloque et fame pene extincta; hinc, quia pro majori parte omnes fuerant per nostros antea baptizati, animum apposui, ut dispersos denuo congregarem, ad hoc deputando aliquem Religiosum, qui strenue et sollicite hac in parte laboravit; sic paulatim collectos, collocavimus in duobus oppidis, quorum unum S. Joseph, in quo pulchram ecclesiam fratrumque conventum construi feci; aliud S. Didaci de Congregatione, nomen accepit: curavimus ipsis etiam fabricari domos, singulisque de alimentis pro aliquot diebus provideri, terramque per nostros cultam eis ad seminandum tradi. Pro suppeditandis vero ad talia et similia charitatis opera expensis, subinde pannum, quem vestiendis fratribus nostris Vestra Majestas mitti mandavit, permutavimus, et sic oppidum hoc, Congregationis dictum, unum ex praecipuis, quae in India reperiuntur, evasit, habens templum, conventum et scholas sicut alia. Quamvis vero

media pars hujus nationis extincta sit, ultra tria millia tamen subditorum Majestas Vestra illic acquisivit.

Natio Picuries.

Ut autem regrediamur ad nationem *Teoas,* ascendendo flumen septentrionale ad decem milliaria, occurrit oppidum *Picuries,* habens incolas 2000 plus minus, conventum et ecclesiam; fuerunt hi prae ceteris totius regni maxime indomiti et intractabiles, multa proinde passi sunt ab eis Religiosi verbera, injurias etc. pro fide Catholica. Patrem, qui modo ibi agit, aliquoties tentarunt occidere, Deo tamen eum miraculose praeservante, semper eorum manus evasit: dum enim semel per vias eum invadere tentabant, prae timore trementes copioso sudore suffundebantur: alia vice dum ad eum capiendum accedebant, factus est eis invisibilis, et sic confusi recesserunt; nunc vero (Deo sint laudes) valde sunt pacifici et morigeri, ac in artibus bene instructi. Pertinent ad nationem *Teoas;* quia vero ab hac adeo sunt dissiti, pro speciali natione reputantur. Terra est valde fertilis, matureque et in magna abundantia suos fructus profert; habet aquas fluviatiles optimas, abundantes truttis; habet et granatorum lapidum optimorum venas, sed non est, qui illos eruat.

Natio Taos.

Aliis septem milliaribus ad septentrionem situm est oppidum *Taos,* quod ad praecedentem nationem pertinet, differt tamen nonnihil in loquela. Habet 2500 habitantes, omnes baptizatos, conventum et ecclesiam, extructa procurantibus duobus Religiosis ad conversionem illius nationis deputatis, qui et optime illos tam in fide quam in aliis docuerunt. Anno vero 1627 placuit Deo, sanctum verbum suum miraculo confirmare. Cum enim de sacramento matrimonii, et praesertim quod non nisi unam uxorem habere cuilibet liceat, unus Religiosus praedicaret, ipsis vero, pluralitati illarum ante baptismum assuetis, difficile persuaderi posset, inter alias una vetula saga Indica maxime se huic doctrinae opposuit: haec semel secum in sylvam ad ligna colligenda sumpsit quatuor mulieres catholico ritu copulatas, totus discursus, quem cum ipsis eundo et redeundo habuit in hoc tendebat, ut illas induceret, ne in modum copulandi quem Pater praedicabat, ullatenus consentirent, quod antiquus Indorum mos melior esset; ipsis vero omnino illi contradicentibus, hac autem semper acrius instante, ecce! dum oppido appropinquarent, sudo et sereno coelo, cecidit ful-

gur, quod diaboli mancipium (catholicis mulieribus, inter quas saga media incedebat, plane illaesis) percussit et occidit. Miraculum hoc non solum bonas illas christianas quatuor mulieres in doctrina, quam Pater de sacramento matrimonii praedicaverat, confirmavit, sed et omnes viros, qui occulte concubinas alebant, permovit, ad illas sibi legitimo matrimonio copulandas, aut dimittendas; ac deinceps Patris doctrinae, absque ulla contradictione, fidem adhibuerunt. Super quo facto praedictus Pater insignem habuit concionem: singulisque dominicis et festis diebus, et in hoc, et in omnibus aliis conventibus conciones fieri solitae sunt. Sit Deus laudatus. Regio haec quamvis valde frigida, necessariis tamen frugibus et animalibus abundat.

Rupes Acoma.

Repetamus modo nationem *Queres,* de qua supra, transeundum enim est ultimum ejus oppidum *divae Annae* dedicatum, versus occidentem ad 12 milliaria, ut perveniatur ad *rupem Acoma,* inaccessibilem pene, et habitatam hominibus bellicosissimis, bis mille plus minus. Plurimis Hispanorum et Indorum amicorum vitis, haec rupes comparata, et tandem occupata fuit. Praeterito anno 1629 eo missus est

unus ex nostris Patribus, qui ipsis catechizat, et catechizatos baptismo imbuit. Hujus SSmi Sacramenti virtutem, miraculo Deus probavit circa puellam aetatis unius anni. Hanc mater in brachiis gestans, animam agentem, quasi mortuam deplorabat; quod videns Religiosus, dixit: Mulier, quando quidem adeo hanc prolem diligas, sine eam baptizari, ut saltem mortua coelum petere et aeterna gloria frui possit: credidit mulier (adhuc ethnica) Patri, rogavitque, ut puellam baptizaret; cui Pater: Crede igitur, haec enim aqua potens est filiae tuae sanitatem reddere. Mirabile dictu! infusa aqua super puellam, et forma baptismi prolata, in momento convaluit, et se erigens ubera matris arripuit, Patrique quasi pro accepto beneficio gratias agens arridebat. Miraculum hoc Indos illos plurimum in fide confirmavit, diligentioresque reddidit in addiscendis Christianis precibus, ut ad baptismum pertingere possent. Sit Deus benedictus.

Natio Zúni.

Triginta aliis milliaribus, occidentem versus, venitur ad provinciam *Zúni;* 11 vel 12 oppida spatio novem aut decem milliarium complectens, in quibus ultra decem millia habitatores reperiuntur, omnes ad catholicam

fidem conversi, pars eorum ex nunc baptizati, pars adhuc catechizantur et in dies baptizantur. Religiosi nostri ibidem habitantes in duobus conventibus et huic sancto operi intendentes, magnam a veneficis illic existentibus sustinent persecutionem; Deo tamen opus suum promovente suosque operarios protegente, semper praevalent plurimaque mirabilia Dei virtute faciunt; quae, quia in speciali informatione desuper sumpta referuntur, ad illam me remitto. Est regio omnium humanae vitae necessariorum affluentissima.

Natio Moqui.

Item versus occidentem aliis triginta milliaribus sita est provincia *Moqui,* ejusdem cum praecedente magnitudinis et quantitatis populi, videlicet 10000, qui in dies catechizantur et baptismum recipiunt, confirmante Deo doctrinam servorum suorum signis et prodigiis, quorum unum hic referendum. Pro more habent Indi statim a principio Religiosos ad sua oppida et habitationes adventantes optime recipere, seque sacro suscipiendo baptismo prompto animo accommodare; quod aegerrime ferentes venefici nullum non movent lapidem, ut illud impediant, ad hoc nitentes praecipue, ut Religiosum Indi expellant aut

occidant. Contigit itaque in praecipuo oppido hujus provinciae *Moqui,* postquam ibidem Patrem ad suam conversionem destinatum, una cum sociis ac militibus ipsum comitantibus, valde amice recepissent, quod Pater habens in manu unam ex crucibus originalibus Matris Ludovicae de Carrion, ipsos in fervore spiritus efficacibus rationibus convincere laboraret, unum solum DEUM esse colendum et adorandum; illum videlicet, qui creavit coelum et terram, et pro redemptione humani generis homo factus, mortuus est in cruce, cujus similitudinem manu tenebat; quod etiam hunc debebant adorare, et non idola sua, per quae diabolus ipsos dementabat et decipiebat. Magi qui aderant per hoc quasi in rabiem acti, conati sunt populo persuadere ipsum Religiosum omnesque ejus comites esse seductores, et ad hoc solum venisse, ut ipsos deciperent, quod proinde eos deberent e medio tollere; hoc tamen aggredi ausi non fuerunt, timentes militem armatum, sed praecipue DEO ita clementer disponente. Postea magna hominum caterva stipatum, adducunt puerum unum 12 vel 13 annorum, caecum a nativitate, habentem oculos adeo clausos, quod palpebras aperire nullatenus posset; dixeruntque Religioso: Si vera sunt, quae de cruce praedicas, superponas eam oculis hujus pueri, quos si aperue-

rit, credemus tibi, sin minus, te tamquam mendacem et seductorem aut occidemus, aut cum ignominia ejiciemus. Tunc Religiosus in genua procidens, elevatis in coelum oculis magna devotione et fide DEUM orabat, quatenus in infidelium illorum et sylvestrium hominum confusionem, et ut discerent sanctum suum nomen et crucem honorare, per hanc, quam manu tenebat, antiqua potentiae suae miracula operari dignaretur: peracta oratione surgens, firma fide crucem oculis pueri imposuit, qui extemplo illos aperiens, prae summa admiratione, quod jam videret, exclamavit. Tanto miraculo stupefacti puerum per vicos et plateas brachiis elevatum tulerunt, miraculum publicantes, et se Christianos fieri ac baptizari velle altis vocibus protestantes; quodque jam agnoscerent vera esse quae Pater docebat, seque ipsius monitis et doctrinae velle acquiescere: econtra veneficos, qui hactenus sua magia ipsos dementarunt, esse meros deceptores et seductores: Patrem proinde suosque socios magna deinceps sunt reverentia et amore prosecuti, acquiescentes promptissime eorum monitis et doctrinae, atque baptismum summo desiderio aspirantes. Sit nomen DOMINI benedictum.

Non defuerunt similia miracula in superioribus conversionibus, quae hic brevitatis

causa praetereo, illa ad plenum relaturus in historia generali illius conversionis, quam Deo juvante in lucem edere intendo; volui tamen haec pauca referre, quia praeterito anno 1629 a quo Majestas Vestra novos in illam vineam operarios misit, contigerunt.

Harum Nationum mores et consuetudines.

Haec sunt loca inhabitata, quae ab hac parte regni (cui Novi Mexico nomen dedimus) hactenus potuimus detegere, a primo videlicet oppido provinciae *Piros,* S. Antonii de *Senecú* nominato, usque ad oppidum *S. Hieronymi* provinciae *Taos.* Continet hic districtus spatium centum leucarum, suntque omnia oppida sita ad utramque ripam fluminis septentrionalis, paucis exceptis, quae septem vel octo milliaribus ad latus declinant, juxta alios rivos aquarum; ascenduntque habitatores ad numerum octoginta millium, plus minus. Omnes hae nationes divisae erant in duas partialitates, quarum una militiam altera magiam profitebatur, habebantque summas ad invicem inimicitias. Milites conabantur omnem populum sibi subjugare, econtra magi, persuadentes hominibus se pluvias, serenam auram ac terrae fertilitatem causare, illos in suam sententiam et devotionem trahere studebant, militem de-

ridentes; et sic erant assidua inter ipsos bella intestina crudelissima, homicidia frequentissima, oppidorum et aliarum habitationum eversiones ac desolationes, et consequenter hosti humani generis magnum lucrum. Ipsorum religio, licet non potuerit dici formalis idololatria, erat tamen huic proxima, fere enim ad omnia, quae agebant, speciales adhibebant oblationes; verbi gratia, contra hostes suos in bellum processuri offerebant farinam et alias res in praesentia crinium, quos inimicis a se trucidatis absciderant; volentes nubere, coram capitibus cervorum, leporum, cuniculorum aliorumque animalium mortuorum, similiter farinam offerebant; ad piscationem accedentes offerebant fluvio; mulieres ad nuptias anhelantes, ibant ad campum aliquem, et ibidem in colliculo lapidem aut baculum erigebant, coram illo farinam pariter offerentes; spatio octo vel plurium dierum, non nisi res stomachum alterantes et vomitum (reverendo) provocantes comedebant, crudeliterque se flagellabant; dumque amplius hunc vivendi modum sustinere non poterant, et ex pinguibus beneque dispositis totae macilentae et alicui Megerae similes evaserant, revertebantur domum plene confidentes, quod primus vir occurrens eas sibi acciperet ac lodiculam sive stragulum bambacinum eis praesentaret, tale enim munus prae

ceteris aestimant. Hi et similes modi oblationum fiunt ab ipsis absque aliqua speciali reverentia, neque enim aegre ferunt, si ligna, lapides et alia, coram quibus offerunt, pedibus terantur, vel conspuantur, sed habent eorum appositionem tantum pro aliqua caeremonia. Ducem sive capitaneum sibi eligere volentes, conveniebant ad forum; illum qui instituendus erat, nudum alligabant palo, virgisque ex spinis confectis insigniter excipiebant, postea coram illo ludicra et facetias exercebant; et si neque his ad risum, neque verberibus ad fletum aut impatientiam movebatur, ipsum tanquam virum strenuum in ducem acceptabant. Servant formam regiminis et reipublicae; si quid alicujus momenti tractandum occurrit, conveniunt seniores populi coram supremo Capitaneo, qui postea resolutionem coram omni populo publicat; estque eis haec publicatio res magnae auctoritatis usque in hodiernam diem.

Quam sedulo se dent exercitiis christianis.

A quo vero sunt, per Dei gratiam, opera nostrorum fratrum ad fidem conversi, adeo sunt in exercitiis fidei ferventes, ut antiquos christianos superent; dum audiunt pulsu campanae ad Missam, aut verbum Dei, signum

dari, statim omnes cum magna modestia et externa compositione ad templum conveniunt; pueri et puellae semper mane et vesperi valde diligenter ad catechesin accedunt. Cantores ad hoc deputati et in certos choros divisi, statutis horis quotidie cantant Primam, summum Sacrum et Vesperas, valde solemniter. Ad sacramentalem confessionem valde serio se disponunt: magnam obedientiam, reverentiam et affectum deferunt Religioso, suo ministerio deputato; simul ac aliquis, si prae debilitate ipsemet accedere non valet, Religiosum advocari curat, confidens se sola ejus praesentia sanandum; si vero morbus invalescat, per confessionem sacramentalem se ad bene moriendum disponit. Et quia advertunt fratres nostros tam prompte et sollicite ipsis inservire, ac in omni necessitate succurrere, plurimum ipsos diligunt et pro posse necessaria, non solum personis nostris, sed et conventibus et ecclesiis, magno amore et devotione suppeditant. Vix credi posset, quam apte ac brevi tempore et ecclesias et conventus nostros extruxerint, cum tamen solae mulieres ac scholares, pueri et puellae, fabricis construendis applicentur; hoc enim pro more habent praedictae nationes: viri vero nent et texunt stragula ex bambacio, venationi vacant et ad bella procedunt; et dum aliquando volumus viros ad fabrilia

exercenda adigere, confunduntur, et si acquiescunt, mulieres illos exsibilant; sicque quinquaginta et amplius ecclesiae affabre et valde pulchre extructae sunt per mulieres, interiusque picturis in parietibus, alioque ornatu optime constitutae. Sunt nihilominus illis in partibus modo optimi fabri, praecipue lignarii, qui ex lignis (quibus montes ibidem abundant et quidem optimis ac raris) res pulcherrimas faciunt; aliarumque artium mechanicarum magistri praeclari, a fratribus nostris artem edocti. Quod vero homines, antea tam sylvestres et brutales, qui a 20 annis prius ad fidem converti coeperunt (majorque eorum copia prius ab annis octo baptizati sunt), adeo sint modo religiosi in moribus, ut continentales catholicos longe superent, ad admirationem et DEUM laudandum maxime nos movet; dum enim nos Religiosos per vias et campos eminus adventare percipiunt, occurrunt, summoque amore ac reverentia nos suscipiunt, dicentes: *Benedictus Dominus noster* JESUS CHRISTUS; item, *Benedictum sit Venerabile Sacramentum;* si ad eorum oppida vel mansiones divertimus, offerunt nobis flores et ramusculos; piscibus aliisque ferculis, quae habere possunt, maxima charitate nos tractant. Oppidi praefectus seu capitaneus adventum nobis gratulaturus accedit, magnas agens gratias, quod, cum simus sacerdotes,

ipsos visitare dignamur. Vestiuntur hi populi modo stragulis bambacinis et pellibus, tam viri quam mulieres ornantes se inauribus, dextrariolis ac murenulis aureis; mulieres vero sua stragula exterius depicta et fimbriata gestant.

Dum campana datur signum ad *Ave Maria,* omnes, ubicumque reperiantur, in genua procidunt, alta voce *beatissimam Virginem Mariam* tertio salutatione Angelica invocantes, uti et ad signum pro defunctis unum *Pater noster* et *Ave Maria* recitant. Fiunt frequentes cum venerabili Sacramento processiones, quibus tribuendum arbitramur, quod aër ante hac adeo austerus et durus, ut ferri vix posset, modo sit valde placidus, suavis et salubris. Sit Deus benedictus, qui per indignos servulos suos (humiles fratres Minores) sanctissimae crucis trophaeum in diaboli regnum invexit, et ex daemonis mancipiis, filios *S. Romanae Ecclesiae* effecit, per hoc evidenter probans, se infirma mundi et contemptibilia eligere, ut fortia quaeque confundat, ac consequenter opus suum esse. Sit a Deo benedicta V. Catholica Majestas, cujus regia munificentia tantum opus inchoatum est et promovetur, et tot animarum millia (Deo auctore) diaboli faucibus eripiuntur. Agimus divinae suae bonitati infinitas gratias, quod tantos spirituales ac temporales the-

sauros V. Majestati pandere fuerit dignata; illosque Indos pro tanti benefactoris (qui eis media et instrumenta aeternae salutis consequendae subministravit) prosperitate, assidue orare docuimus, quod et fideliter praestant. Cedat DEO omnis honor et gloria.

Fertilitas terrae.

Est regnum hoc valde frugiferum, granum (Indice *maiz*, Hispanice *trigo de Indias)* omnisque generis legumina terrae mandata, maximo cum foenore recipiuntur; melones, pepones, cucumeres, caules, radices, allium, caepae, omnisque generis hortalitia habentur in abundantia. Uti etiam plurimae frugiferarum species, quas, ne longus sim, enumerare omitto; solum dicam, quod pinnones, sive nuces pini, sunt multo majores quam in Hispania, corticesque fractu faciles. Magna demum terrae illius fertilitas vel ex hoc colligi potest, quod ex uno tritici, sive maiz modio, terrae mandato, recipiuntur 120 vel 130 modii, et saepe contingit, quod ex eodem agro non denuo arato, aut seminato, sed solum irrigato, sequenti messe uberes fructus colligantur.

Venatio et piscatio.

Tanta est sylvestrium animalium copia, ut infinita pene videatur. Cervi diversarum

specierum, aliqui magnitudinis unius magni muli habentes etiam caudam mulo similem; alii similis magnitudinis, cum caudis uti cervi nostrates, suntque pilosi; mediocris sive ordinariae magnitudinis cervorum maxima multitudo: hi et cibum ordinarium et vestes Indis suppeditant, norunt enim illorum pelles optime parare, adeo quod in civitate Mexico quinque vel sex *Pesos* (est certum pondus argenti, valens singulum octo Regalibus Hispanicis) vendantur: cuniculorum et leporum non est numerus. Leones, ursi, lupi, vulpes, catti sylvestres, plurimi. Est ibidem species arietum sylvestrium (ibices esse putarim) extraordinariae magnitudinis, habentque cornua valde crassa; hi citato cursu murum editissimasque ac altissimas rupes conscendunt, ex quibus subinde vel ludentes vel fugientes se praecipitant, cadentes semper in caput, statimque surgunt absque ulla laesione, et quasi non cecidissent. Muli et equi praestantissimi, in magna copia; uti et porci omnisque generis animantia; exceptis vaccis et ovibus, quas ex nova Hispania eo adduximus, suntque modo valde multiplicatae, oves enim singulis partubus tres faciunt foetus. Res est visu digna, quando Indi instituunt venationem generalem: conveniunt enim illorum quatuor vel quinque millia; tum circumdantes totum spatium per quod venari

intendunt, paulatim, quicquid in illo reperitur animalium sylvestrium, circulo non magno includunt; estque jucundissimum ibi simul videre tot bestiarum species diversas; tum ii qui ad hoc deputantur, ingredientes circulum, occidunt quod volunt, et occisa aequaliter inter omnes distribuuntur; capitaneo tamen ceteris major pars cedit.

Piscium similiter magna est copia in fluviis, rivis et torrentibus, quibus terra abundat; praecipue in flumine septentrionali, qui dum demissior, vadari potest, equo usque ad sellam sive ephippium intrante: subinde vero valde est profundus et rapidus, praesertim cum aquae ex nivibus resolutae defluunt.

Aëris temperies qualis sit.

Tempore hyemis frigus est intentissimum, congelantur omnia flumina, ita ut equis et curribus transiri possint, imo et ipsum flumen septentrionale. Nives copiosissimae. Reperiuntur passim Indi per vias mortui. Hispanis praecipue molestum tantum frigus, nares, aures, manus, pedes saepissime habent congelatos. Prae ceteris tamen nos Religiosi hoc incommodum sentimus, dum hinc inde ad divina ministranda, infirmosque visitandos, remotiores partes accedere debemus; econtra adeo est in aestate

intensus calor, ut respirari vix possit, ac proinde, hic, frigore molestior; multo tamen major in una quam alia Provincia est aestus.

Natio Apache.

Sufficient hactenus dicta ad intelligendam constitutionem locorum et oppidorum Novi Mexico, quae in spatio centum leucarum, ad utramque septentrionalis fluminis ripam sita sunt. Modo ad praeclaram nationem *Apache,* qua aliae praedictae nationes undequaque circumdantur, accedendum est. In hac sola, ausim dicere, frequentiorem esse populum quam in tota Nova Hispania, etiam comprehendendo regnum Mexico. Sunt homines longe a praecedentibus indole distincti, uti et loquela; alii enim loquuntur suaviter et tractim, hi verbis quasi scindunt; sunt animo elati, bellicosi, astuti, insidiosi; nulla habent oppida vel domos, sed in tentoriis aut tuguriis morantur, habitationes suas mutantes pro opportunitate venationis, ex hac enim vivunt; habent tamen singulae mansiones deputatum sibi certum terrae spatium, in quo maiz sive triticum aliaque semina et legumina pro sua sustentatione seminant; vestiuntur pellibus cervinis optime paratis, et suo modo ornatis; mulieres etiam valde compte et honeste vestitae incedunt.

Nulla habent idola, imo et alias nationes ea habentes derident, solem tamen colunt, licet non omnes. Tot habent uxores ac possunt alere; quarum si aliquam adulterasse compererint, praecisis (juxta leges suas) naribus et auribus, inexorabiliter a se rejiciunt. Superioribus suis sunt valde reverentiales prompteque obedientes, filios suos bene docent et castigant, quod aliae nationes non faciunt; sunt amantes veritatis; si quem vero mendacii convincunt, habent eum pro infami. Omnes uno idiomate utuntur, cum sint unius nationis, est quidem nonnulla hinc inde diversitas, propter longam ab invicem distantiam, non tamen tanta, quin possint omnes, tamquam unius linguae, intelligi. Natio haec, uti diximus, circumcingit praetactas provincias Novi Mexico. Inchoando igitur a loco, qui dicitur *Apaches del Perillo,* donec per circulum ad eumdem fiat regressus, intercedunt trecenta milliaria; totidem et amplius habet lateraliter versus occidentem usque ad *Mare del Zur:* hinc ad septentrionalem plagam vergit versus *Angustiam,* sive *Estrecho de Anian;* ab hac parte autem hactenus finem invenire non potuimus.

Initium conversionis Apaches.

Conversioni hujus nationis, per Dei gratiam, initium dedi in parte septentrionali, in

loco ubi residebat dux sive capitaneus *Quinia*, vir propter res in bello bene gestas apud Indos famosissimus. Illic primas cruces erexi, baptizatoque capitaneo cum uxore et liberis, reliqui ibidem unum Religiosum ad conversionem prosequendam; verum subditi rebellantes minati sunt Patrem telis confodere sub catechesi, non tamen fuerunt ausi eum occidere, sed locum una omnes deserentes, reliquerunt Patrem solum. Sic solet in principio conversionis ordinarie contingere. Discessit itaque inde pro illa vice.

Conversio Apaches de Xila, et notabilis discursus unius capitanei.

Proxima nationi *Apaches del Perillo*, est natio *Apaches de Xila:* distat haec provincia 14 milliaribus ab oppido *S. Antonii de Senecú*, quod pertinet ad provinciam *Piros*. Placuit Deo quod supremus capitaneus, nomine *Sanaba*, conversus antea fuerit per meas conciones, quas frequenter audiverat in *Senecú*, et ipsemet modo praedicat populo sibi commisso, quem paulatim totum convertit, estque de praesenti ibi unus ex nostris Patribus, ipsos in catechismo exercens.

Non possum silentio praeterire id, quod mihi contigit in hac conversione. Dum versus

Xila me conferre meditabar, venit ad me usque in *Senecú* praenominatus capitaneus *Sanaba,* rogaturus, ut suam provinciam accedere vellem; qui, ferculis de paupertate nostra appositis nonnihil refectus, jussit uni servorum suorum ut solveret fasciculum, quem secum tulerat, extraxitque ex eo pellem involutam, pulchre paratam, quam mihi obtulit. Praesupponens igitur quod illam mihi donare intenderet, dixi, me nulla ab ipso vel aliis munera velle, sed tantum, ut toto corde crederent in unum Deum, Dominum coeli et terrae, ipsumque devote adorarent. Tum suaviter subridens, rogavit, ut pellem evolverem et viderem quid in ea lateret: feci et vidi pellem interius valde albam, et in ea viridi colore depictum *solem* cum *cruce* desuper; sub Sole vero, figuratam grifeo colore *lunam,* similiter habentem *crucem* super impositam: dumque rogarem, quid sibi vellet haec pictura, respondit: Pater, hucusque non agnovimus majores benefactores quam *solem* et *lunam;* sol enim lucet nobis per diem, calefacit nos, et producit herbas et plantas: luna suo lumine nobis servit de nocte; et propter haec magna beneficia illos adoravimus, putantes bene facere: a quo vero ex te audivimus esse Deum, qui creavit solem et lunam omniaque alia, crucem vero esse signum illius Dei, curavi depingi crucem su-

pra solem et lunam, ut intelligas, quod velimus nos accommodare tuae doctrinae, nobisque modo nihil adeo esse cordi, quam DEUM et suam sanctam crucem adorare. Sit DEUS per omnia benedictus. Noverint soli illi, qui aliquando conversionibus infidelium vacarunt, quantam servus DEI suique sancti Verbi minister concipiat corde spiritualem laetitiam, quantum in anima solatium, percipiens tales sui seminis fructus, quamque bene impensos aestimet labores, molestias et pericula, quae tali de causa subivit. Ex hoc solo facto licet colligere, quam dociles dederit DEUS animos huic nationi; quis enim naturalis philosophus conceptum suum de DEO omnium Creatore, Salvatore et Domino, melius potuisset adumbrare, aut figuris exprimere? Sit DEUS iterum benedictus.

Conversio nationis Apaches de Navajo.

Quinquaginta milliaribus, vel circiter, versus septentrionem a provincia *Xila* occurrit provincia *Apaches de Navajo;* cujus incolae quidem sunt ejusdem nationis, subjecti tamen alteri supremo capitaneo, habentque alium modum vivendi. *Apache Xila* enim non colunt aut seminant agros, sed ex venatione vivunt, licet modo per nostros edocti, terram colere

incipiant; at vero *Apaches de Navajo* agriculturam optime callent. Haec prae ceteris *Apaches* provincia bellicosissima est, uti Hispani experientia didicerunt, suique inter illos animi, ac valoris probandi, materiam invenerunt. Extendit se ad 50 vel 60 milliaria, estque plena fodinis aluminis. Et quia omnes circumjacentes nationes Christianae ad picturam propendent, vestesque suas sive pelles exterius depingunt, ac proinde alumine temperandis coloribus indigeant; hoc vero non nisi ex praedictis fodinis sive montibus haberi possit: hinc magna inter illos bella. Christiani enim Indi, dum pro accipiendo alumine egrediuntur, jungunt se ad minus duo aut tria millia virorum, contra quos hostiliter egrediuntur illi *Apaches de Navajo,* ac inter se crudeliter confligunt, fitque ut plurimum utrinque magna strages; nisi veniant Christiani, tempore quo Apaches ratione venationis absunt a suis mansionibus; si tamen domum redeuntes percipiant, alumen sibi a Christianis ablatum, ex professo ad vindicandam hanc injuriam, contra eos formato exercitu in campum procedunt, estque tanta bellantium apud istos *Apaches* copia, ut duorum dierum spatio, ultra triginta mille viros, arcu et sagittis instructos, congregare possint. Habitant in cavernis locisque subterraneis, ubi etiam sua frumenta tamquam

in horreis recondunt. Anno vero praeterito 1629 mense Septembri, Deo ita misericorditer disponente, incepi huic nationi praedicare Verbum Dei; et curavi extrui unum conventum S. Clarae sacrum in oppido *Capoo,* nationis *Teoas,* quod est illis *Apaches* vicinum, ac consequenter eorum injuriis ac hostilitatibus maxime expositum; intentio autem mea fuit, inter illos conciliare pacem et amicitiam, occasionemque nancisci, ad agendum cum illis infidelibus et Verbum Dei seminandi. Quam vero e sententia res successerit, spero V. Majestati non erit grave intelligere.

Mense igitur Septembri praeteriti anni 1629 residens in praedicto recens per me erecto conventu in oppido *Capoo,* et advertens nullum ex *Apaches de Navajo* eo accedere, cum quo possem amice agere, eum bene tractare, et cum satisfactione a me remittere ad suum capitaneum, ut cum hoc de pace inter nos ineunda tractaret: proposui eo mittere duodecim ex nostris Indis Catholicis, viros intelligentes et cordatos; et in hunc finem convocavi omnes capitaneos et seniores populi, eisque aperui mentem meam de quaerenda opportunitate ad componendam hanc pacem, eaque mediante conversionem illius gentis promovendam. Placuit omnibus propositio, et denominantes duodecim viros mittendos, unum

illorum ceteris capaciorem et in rebus agendis dexteriorem, capitaneum designarunt, qui praecipuas partes in legatione ageret, et symbola (pro more suo) pacis tractandae exhiberet: erant autem haec: *Sagitta,* quae loco cuspidis habebat plumam coloratam, et *fistula* ad hauriendum vel, ut aiunt, bibendum, per fumum, Tubacum sive Necotianam, jam hauriri inchoatam. *Sagitta* quidem capitaneo vel legato datur, ut dum appropinquat mansioni hostium, estque in illorum conspectu, hanc in illos jaciat, in signum pacifici accessus, cum laedere non possit cuspide destituta; *fistula* vero, ad amicabiliter propinandum invicem. Commisi et ego capitaneo meam pacis tesseram, videlicet *Rosarium beatissimae Virginis,* quod capitaneo Apaches meo nomine praesentaret, ac meum desiderium cum ipso super hac pace tractandi insinuaret. Resoluta est haec Legatio in vigilia sacrorum Stigmatum beatissimi nostri Patris Francisci, quod occurrit 17 Septembris, ac proinde monui, ut altera die ante discessum sacro Missae officio praesentes se exhiberent, Deum pro felici rei successu, et S. Franciscum, ut suo patrocinio illam promovere dignaretur, devotissime oraturi, atque ex tunc Seraphico nostro Patri illam provinciam ejusque conversionem dedicavi. Die igitur festo, Sacrum, non solum legatis, sed et toto populo devotissime

praesente, solemniter decantatum fuit, eoque finito legati, petita prius humiliter mea benedictione, ex ipso templo immediate itineri se dederunt, optime animati et resoluti. Novit Deus anxietates, quas patiebar considerans periculum cui boni homines exponebantur: firmam nihilominus in Deum spem et fiduciam habebam, suam opem et protectionem non illis defuturam.

Ut igitur ad hostium, qui in prima mansione erant, conspectum legati devenerunt, jecit capitaneus commissam sibi sagittam: erat autem tunc ibi casu supremus capitaneus, vir insignis et cognatus *Cazique* (hic super omnes, etiam supremos capitaneos, imperium habet), ea solum intentione, ut militem ad invadendos copioso exercitu in proximo Christianos, colligeret: cui similis teli emissione respondit hostis; tum lento gradu ad invicem accesserunt: et dum jam propinquiores facti, mutuo loquentes intelligere possent, deposuit capitaneus noster, capitaneo *Apache* suam legationem, ipsi haustum Tubaci fistula propinans, tum obtulit ei meum Rosarium, et quia numquam simile quid viderat, rogavit, quid sibi vellet, quod unum filum tot granis insertum esset? Legatus noster, ex tempore, ingeniose valde respondit, quod quia plures numero essent eorum capitanei, Pater plura voluerit si-

mul mittere grana, ut singuli singula in symbolum suae amicitiae accipere possent: quae responsio capitaneo multum placuit. His ita peractis, capitaneus, praemisso profundo suspirio, respondit, se valde dolere de ipsorum adventu; pacem quam offerebant (quia bona) non quidem esse respuendam; sed quod plurimum a Christianis offensus, jam insignem de ipsis vindictam sumere decreverat: pacem nihilominus se et velle et acceptare. Missis deinde ad suum *Cazique* et sagitta et fistula, meum sibi Rosarium retinuit, colloque appendit. Et quia proditionis aliquam suspicionem habebat, dixit ad nostros, quod ipse quidem nomine omnium suorum similiter pacem nobis daret, vellet tamen a me et omnibus capitaneis Christianis personaliter certior fieri, an veraciter etiam illam cum ipsis intenderent; ac proinde se nostrum oppidum accedere resolvisse.

De hoc per aliquem nostrorum certior factus, misi ipsi in occursum ultra mille quingentas personas. Ego vero in ecclesia nostra adventum ejus praestolabar, quam optime ornari curaveram, plurimaque luminaria accendi, erant enim tenebrae dum adventabant. Et quia natio haec superba est, animoque elato, visum fuit capitaneum hunc suosque comites alio modo suscipere, quam aliae nationes a nobis

suscipi solent. Solemus enim in primo accessu moribus ipsorum nos accommodantes, una cum ipsis humi sedere; hunc stylum hac vice, praedicta de causa, mutans, feci mihi poni sedem super tapetem ante altare, in qua sedens ipsum expectabam. Praecedente itaque tota turba populi, ipse cum quatuor suis capitaneis, inter capitaneos nostros ab utraque parte ipsos stipantes, procedebat. Dum jam omnes templum ingressi erant, accessit supremus capitaneus Christianorum, et ad pedes meos provolutus, illos deosculabatur; nesciebam quidem hoc futurum, non tamen multum abnui, in hac occasione insolitam hanc caeremoniam admittere; ejus exemplum ceteri capitanei, etiam exteri, secuti sunt. Tum supremus capitaneus *Apache* salutatione praemissa, mihi ait: Capitanei vestri, hic praesentes, ad me venerunt, offerentes nobis vestro et aliorum vestrorum capitaneorum nomine pacem et amicitiam; volui itaque in persona venire pro habenda majore hujus rei securitate. Quo audito prodiit in medium primarius oppidi capitaneus, ipsique obtulit proprium suum arcum et sagittas, dicens: Coram Deo in altari existente et hoc suo presbytero, trado tibi arma mea, in fidem verbi mei, quod in aeternum pacem inter nos initam nolim violare. Hisque dictis arcum et sagittas posuit in altari: utque ipsi

constaret totum populum idem sentire, clara voce illum interrogavit, an ejusdem essent sententiae; acclamaverunt omnes unanimiter: Ita, ita! Statim supremus capitaneus *Apache* e pharetra sua protulit sagittam habentem acutissimam cuspidem ex silice albo, alta voce coram omnibus dicens: Ignoro quis sit is, quem DEUM tuum nominas, quia tamen in confirmationem verbi tui et fidei servandae testem illum invocas, debet esse persona magnae potentiae, auctoritatis et bonitatis; ac proinde eidem DEO, quisquis ille sit, do verbum meum et fidem, meo et omnium meorum nomine, mediante hoc telo, quod ad manus Patris hujus consigno, quod nec ego, nec ulli nostrum, initae inter nos paci et amicitiae unquam simus defuturi. Ego igitur accipiens sagittam, dixi, si vellet a me audire, quisnam sit ille DEUS noster, cui ipse etiam ex nunc veritatem verbi sui consignarat, quod indubie cum voluptate illud esset intellecturus. Quo annuente, paucis ei declaravi, DEUM nostrum esse Conditorem et DOMINUM omnium creaturarum: qui ut nos ab aeternis tormentis liberaret, homo factus pro nobis in Cruce mori voluit; mysteriaque passionis DOMINI in altari depicta ipsi digito designans, subjunxi, quod omnis, qui in illum DEUM non crederet, et in nomine ejus baptizatus non fuerit, ipsumque

adoraret, in omnem aeternitatem esset infernalibus flammis torquendus. Statim apparuit in viro effectus Verbi Dei, profundum enim emittens suspirium, ad populum conversus, magno spiritu et elata voce ait: O Teoas, invideo vobis vestram felicitatem, quod habeatis, qui vos doceant, qui sit Deus, plurimaque alia bona; et nos econtra per montes et sylvas errantes, instar cervorum, leporum aliarumque bestiarum vivimus et morimur; ex nunc dico, me illum Deum, de quo Pater locutus est, adorare, et ejus amore pacem inter nos initam tanto firmius servaturum; prorumpensque in lacrymas voluit genuflexus pedes meos deosculari; ipsum vero elevans amorose sum amplexatus, quod et similiter fecerunt omnes capitanei Christiani. Statim mandavi pulsari omnes campanas, tubas, et varia instrumenta musicalia, quibus fuit summe oblectatus, nunquam enim eo usque simile quid audierat. Tela sive sagittas ad altare suspendi curavi, in trophaeum Verbi Dei, licet a me indignissimo ejus ministro prolati. Et postquam ad dandas Deo laudes et gratiarum actiones populum admonui, eduxerunt capitanei Christiani supremum Apaches cum suis ad convivium, quos et ego pro nostra paupertate tractavi.

Altera die (quae erat Sabbati) mane, dum daretur signum ad solemne sacrum, in

honorem beatissimae Virginis MARIAE, videns *Apache* totum populum ad templum se conferentem, accessit et ipse cum suis ; intelligensque me Alphonsum vocari, rogavit et sibi illud nomen permitti ; dixi, dum se baptizari peteret, nomen hoc sibi impositum iri ; omnes tamen nihilominus illum deinde Don Alonso nominarunt. Parabam me ad Missam, assumens pretiosissima ornamenta, quae aderant ; mirabatur porro ipse, advertens totum populum in templo genuflexum tam devote expectare. Ante Missae principium, aliquos Indorum matrimonio jungebam ; et licet infideles plures uxores habeant, placebat tamen illi mos Christianorum de una tantum assumenda, et quod mutuam sibi fidem promitterent in praesentia DEI. Dum igitur ad celebrationem accedendum mihi erat, dixi ad Apache, nulli qui sacrum Baptismum nondum suscepit, licitum est DEUM sub Missa videre, quod propterea dignaretur interim aliquantulum ambulatum egredi ; ad quod ille : se tam esse christianum, DEUMQUE tam ex intimo corde adorare ac aliquis illorum, qui aderant, se proinde etiam velle DEUM videre ; et licet replicarem defectu Baptismi id fieri non posse, noluit tamen egredi, omnibus vero suis emissis ipse solus remansit. Ne igitur offenderetur, mandavi cantoribus musicae ut, adhibitis instrumen-

tis, solemnissime antiphonam *Salve Regina* decantarent; et ego assumptis ornamentis ante altare collectam convenientem, antiphona finita, cecini; postea ad populum conversus, sedens eodem loco, denuo de mysteriis creationis et redemptionis mundi, sermonem habui, quo fuit magis ac magis in fide confirmatus, plurimumque consolatus.

Advenerant, ut Missae sacrificio interessent quidam Hispani, quod intelligens Apache, dixit se cum illis etiam pacem, qualem cum Teoas jam concluserat, velle inire; dedit itaque per manus meas uni capitaneo Hispano, in signum inviolabilis foederis, sagittam; Hispanus reciproce extractum gladium ipsi tradendum mihi consignavit; utrumque altari impositum; fuitque hoc cum Hispanis foedus similiter campanarum, tubarum, ac musicalium instrumentorum sono solemnizatum, quod Apache supra modum placuit; dixit enim se vel ex hoc fidei nostrae veritatem colligere, quod illam tam pulchris caeremoniis celebraremus, ipsi vero viverent ut animalia sylvestria. Tunc ipsum per aliquos capitaneos christianos domum suam deduci curans, Missam coram populo legi; quod postea resciens, aegre tulit, eo quod desideraverat Deum in Missa videre.

Mansit ibi cum suis per tres aut quatuor dies, auscultans cum devotione et affectu illa,

quae tractabantur de fidei nostrae mysteriis notansque laetitiam spiritualem in Catholicis; praecipue tamen ipsum et alios movebat consideratio et timor poenarum inferni, quas ut evaderent et ipsi, et ipsorum uxores ac liberi, totaque ipsorum natio, omnibus modis se velle Christianos fieri, protestabantur. Serio me proinde rogabat *supremus Apache*, ut ipsorum mansionem accederem et ibidem manerem, saltem ad decem dies, quatenus mea praedicatione populo suo innotescerent ea, quae apud Teoas ipsi ex ore meo perceperant: adeo enim (inquiebat) sunt mirabilia, quod non possemus effari, neque etiam nobis talia dicentibus crederetur. Discessit tandem cum suis, intentione revertendi post sesqui lunam (per lunas enim tempus computant) et pro stabilitione initae pacis, adducendi omnes mulieres et pueros circumjacentium mansionum, advehendique magnam quantitatem pellium et aluminis, ad instituendas nundinas ad tres dies, ut hoc modo acquirerent mutuam notitiam et amicitiam. Ipsis vero de natione Teoas ex tunc concessit licentiam venandi per terras Apaches, eosque accedendi pro libito suo, promittens eis omnem securitatem et amicitiam, quam et effectu compererunt, imo et Apaches de sua venatione illis partem dabant, dum occasio aderat. Conversionem hanc et pacificationem

prosequitur religiosus quidam ex nostris, vir magni spiritus, qui me melius (uti confido) illam ad optatum finem noverit deducere. Habet provincia haec *Apaches de Navajo* latitudinis 50 milliaria et amplius, longitudinis vero ultra 300, imo nec finem ejus hactenus scire potuimus. Et quia natio haec est bellicosa et copiosa (habet enim, quantum hucusque indagare potuit, ducenta millia et supra habitantium), de hac prae ceteris metuere sibi habet Regnum Novi Mexico.

Apaches Vaqueros.

Relicta modo Provincia *Apache Navajo, Apache Vaqueros* accedamus declinando ad dexteram versus orientem. Haec se extendit ad 150 leucas usque ad *Apaches del Perillo,* ubi denuo fit accessus ad Novum Mexico. Natio haec a vaccis nomen accepit, *Vaqueros* enim Hispanice, Latine *Bubulos* significat; sunt namque omnes illius provinciae inhabitatores pro majori parte bubuli, sive vaccarum et boum pastores. Vaccae illae sunt nostratibus in magnitudine pares, in forma vero valde dissimiles; habent enim brevia crura, pectus et dorsum incurvum et quasi gibbosum, cornua parva, acuta et erecta, in fronte crispos crines adeoque longos, ut visum illis impediant; co-

loris fusci, vel plane nigri, raro maculosi; caro, nostrarum vaccarum carne sapidior et sanior; butyrum multo melius; non mugiunt, sed instar porcorum grunniunt; pilos per totum corpus similiter crispos habent, instar lanae, ex quibus fiunt pulcherrimi panni, ac pilei pretiosi; hos pilos singulis annis mutant, remanentque dispersi per campos, ventoque illos impellente, reperiuntur in maxima quantitate juxta arbores, et in angulis ac rimis terrae, possetque aliquis illos colligendo ditescere, sed ab incolis negliguntur. Volui ita fuse de his animalibus tractare, quia est infinita illorum copia, et praecipua illorum hominum sustentatio.

Extendit se haec Provincia *Apaches Vaqueros* in longitudine, ut dixi, ultra 150 leucas, in latitudine vero centum leucas excedit, estque terra tentoriis ac mansionibus undequaque plenissima, populusque innumerus. Hujus nationis conversio principium habuit (Deo ita misericorditer disponente) ex bono odore religiosae conversationis Fratrum nostrorum, eo quod adeo charitative vicinarum nationum necessitatibus succurrerent, tamque humaniter cum ipsis agerent. Promovit hoc negotium, quod ipsorum praefecti sive capitanei intellexerint Hispanos in civitate Santa Fè sive Sanctae Fidei, habere Matrem Dei: erat haec imago

sculpta, repraesentans Matrem Dei habentem in sinu Filium de cruce depositum, quam ego eo advexeram, asservabaturque pulchre deornata in quodam sacello: venerunt itaque dicti capitanei ad illam civitatem, desiderio videndi Matrem Dei, et tantam erga illam conceperunt devotionem, ut ei promiserint, se velle fieri Christianos; nominatim supremus capitaneus, qui illam valde devote suo more est allocutus. His bonis principiis invidens humani generis hostis, suscitavit gubernatorem nostrum Hispanum, hominem cupidum et avarum, qui ad illos *Apaches Vacqueros* misit valentem quemdam capitaneum Indum, summum illius nationis adversarium, ut ex eis adduceret captivos quoscumque posset, pro mancipiis in Nova Hispania pretio vendendos. Contigit, quod infernalis hic minister irrueret in partem, ubi morabatur bonus ille supremus capitaneus, qui B. Virgini apertis verbis se Christianum fieri velle promiserat: hic Rosarium a collo pendulum, quod ei dederam, protendens, rogabat amore Matris Dei, ne ipsum occideret; non potuit tamen efferatum tyranni animum aut verbis aut precibus flectere; cumque se capitaneus, ut poterat, defenderet, hunc pluresque ex suis crudeliter peremit, et cum aliquibus captivis ad gubernatorem remeavit; qui ob magnam alterationem in regno hac de

causa exortam, noluit illos accipere, valde se offensum, propter factum illud capitaneo Indo, simulans. Hac de causa tota illa provincia in nos insurrexit. Sint tamen Deo laudes, paulatim per nostros Fratres informati de illius commotionis causa, ad pristinam in nos devotionem ac fidei suscipiendae desiderium reducuntur.

Ex praedictis aliqualiter sufficiens haberi potest cognitio hujus nationis *Apaches,* quae, uti dictum est, oppida Novi Mexico ad ripam utramque fluminis septentrionalis sita, ejusque provincias sive nationes, Teoas, Tanos, Hemes, Toas, Piros, Tompiras et Queres, undequaque cingit, et quaqua versus lateraliter, ad orientem, occidentem, septentrionem et meridiem, adeo late se extendit, ut illius terminos pluribus in partibus hactenus ignoremus. Aëris temperies illis in partibus est Novi Mexico similis, hyeme valde frigida, aestate intense calida. Det Deus incrementum semini, quod illic per nostros pauperculos Fratres terrae rationali (si tamen rationalis) summa diligentia, nullisque parcendo laboribus, mandatur.

Miraculosa conversio nationis Xumana.

Praenominata civitas Santa Fè, quae quasi umbilicum Novi Mexico constituit, est

sita ad altitudinem 37 graduum: ab hac civitate per *Apache Vaqueros* petendo orientem, ad centum duodecim circiter leucas, venitur ad nationem *Xumana,* cujus conversio, quia adeo miraculosa, particulariter recenseri meretur. Aliquot abhinc annis, dum Pater Joannes de Salas in conversione nationum *Tompiras* et *Salineros,* quarum limites sunt contra Xumanas, versaretur, casu contigit, quod in quodam colloquio habito cum Xumanis diceret: *Homines, qui pauperibus bene faciunt, esse bonos:* ex tunc coeperunt illi Patri affici, instantes, ut inter ipsos morari dignaretur; cui petitioni, licet pro tunc non posset annuere (quia Indi ab eo recens conversi opera sua carere non poterant), alebat eos nihilominus spe in futurum, dum plures ipsi cooperatores adessent; bonam interim cum ipsis tenendo correspondentiam; qui et eum crebro invisebant. Dum itaque Deo inspirante placuit Majestati V. anno praeterito, videlicet 1629 triginta alios ex *Nova Hispania* Ordinis nostri Religiosos ad illas partes, sub conductu Patris Stephani de Perea, destinare, statim praenominatum Patrem Joannem de Salas, una cum Patre Didaco Lopez, ad dictam nationem Xumana ablegare resolvimus; aderant quippe ab illa natione aliqui deputati, qui illos conducerent. Hos dum aliquando interrogaremus,

quare adeo instanter tantoque affectu nos requirerent? Mulier (ajunt) quaedam illi similis, quae ibi depicta pendet (erat effigies Matris Ludovicae de Carrion), nobis assidue nostro idiomate praedicat, quod Patres advocare debeamus, ut nos instruant et baptizent, neque in hac parte segnes esse debere: addentes insuper, quod quidem habitu mulier illa esset effigiatae persimilis, vultu vero venustior et junior. Idem affirmarunt quotquot ejusdem nationis Indi, successivis temporibus ad nostros Patres adventantes, eamdem effigiem inspexerunt.

Diabolus vero praevidens per accessum Patrum ad illam nationem, praedam, quam tamdiu pacifice possederat, sibi in proximo eripiendam, conatus est illos Indos a suis sedibus deturbare, exsiccando rivos et lacus, ex quibus et homines et bestiae potum suum haurire solebant; unde contigit, vaccas et alia animalia circumcirca pascentia, de quibus homines sustentabantur, ab illis partibus recedere. Insuper per servos suos veneficos populo persuadere nitebatur, frustra ipsos expectare Religiosos, qui jam sex annis praestolati non venerant; ac proinde ni fame et siti perire vellent, sibi alio migrandum esse; ad quod jam resoluti erant; mandato accepto a suis capitaneis, ut levatis et complicatis tentoriis,

in crastinum summo mane migrationi accingere se deberent. Deus vero, qui suis non deest, illo mane ante diluculum misit ad singulos illorum famulam suam Ludovicam de Carrion, quae ipsis nuntiaret Religiosos diu expectatos et requisitos, jam in procinctu esse, quod propterea a loco in quo erant, non recederent. Communicato itaque consilio, resolverunt duodecim ex capitaneis, quibus magis fidebant, exploratum mittere, an res ita se haberet; qui tertio die Religiosis occurrentes, illico effigiem foeminae, quae illis praedicabat, monstrari sibi postularunt. Produxit itaque Pater effigiem dictae matris Ludovicae, quam attulerat; qua visa, dixerunt, eodem quidem modo esse vestitam, formosiorem tamen et juniorem sibi apparere solitam, nullaque facta mora, ad suos remearunt, de adventu Patrum expectatissimum suis nuntium daturi. Hoc igitur accepto, tota acies ipsis obviam processit, praecedentibus *duabus Crucibus,* ita enim facere se debere coelitus edocti erant. Occurrentes itaque huic catervae Patres, visis cum admiratione Crucibus, humi prostrati illas adorarunt; quod et fecerunt tres milites ipsos comitantes. Cruces porro, quas e collo pendentes Patres gestare solent, in manus suas accipientes, Indis monstrarunt, qui similem illis, genuflexi, reverentiam exhibuerunt, uti simili-

ter pulcherrimae imagini sculptae, dulcissimi pueruli Jesu, illius pedes devotissime et oribus et oculis suis admoventes, quod non parum nostri mirabantur.

Igitur Pater Joannes de Salas, turbam hanc *(decem millium hominum et ultra)* alloquens, interrogavit, num sacrum Baptismum suscipere vellent; responderunt nomine omnium capitanei se illa de causa eo venisse et Patres advocasse. Vellem nihilominus, subjunxit Pater, ab omnibus et singulis certum hujus mihi signum dari: et quia oretenus hoc a qualibet persona intelligere in tanta hominum multitudine moraliter impossibile foret, significetur ipsis, ut omnes, qui *Christiani* fieri desiderant, in loco suo subsistentes, brachium in altum elevent; quod ubi eis intimatum fuit, extemplo omnes brachia erexere, altissimisque vocibus baptizari se velle exclamarunt: et (quod maxime nostros movit) matres parvulorum uberibus suis adhaerentium brachiola in altum levabant. Magna virtus gratiae et Verbi Dei.

Duo praedicti Patres, videlicet P. Joannes de Salas et P. Didacus Lopez, permanserunt apud ipsos aliquot diebus, praedicantes eis assidue Verbum Dei, instruentes in omnibus necessariis ad credendum, docentesque orationes christianas, confluente assidue summa aviditate tota multitudine. Interim advenerunt eo legati,

missi ab aliis adjacentibus nationibus, instantes plurimum, ut et illos instructuri accederent, quia etiam inter ipsos versabatur et praedicabat saepenominata Famula Dei. Patres igitur videntes se non sufficere tantae messi, percipientes etiam homines illos esse voluntarios ad extruendas ecclesias sibique fixas mansiones; resolverunt ad locum, ubi nos eramus, se conferre, tam ut plures sibi adsciscerent cooperatores, quam ad acquirenda omnia ad fabricas necessarias. Antequam igitur itineri se committerent, Pater Salas totam turbam in unum congregatam serio admonuit, ut durante ipsorum absentia, quotidie accederent ad locum, ubi Crucem erexerant, uti modo edocti erant, illicque devotas ad Deum preces funderent; in omnibus suis necessitatibus ad *sanctissimam Crucem* refugium haberent, plene confidentes, Deum per illam devote invocatum omnibus suis necessitatibus adfuturum. Ad quae supremus capitaneus respondit his verbis: Pater, hactenus nihil possumus apud Deum, sumus enim adhuc tanquam cervi et animalia sylvestria, vos vero apud Deum et sanctam Crucem plurimum valetis; sunt apud nos multi infirmi, illos sanate ante vestrum discessum. Erant autem (Deo ita forsan pro majore sua gloria permittente) aegroti inter illos plurimi. Ab hora itaque tertia pomeri-

diana, per totam noctem usque ad horam decimam sequentis diei adduxerunt assidue suos infirmos, caecos, claudos, paralyticos, etc. ad dictos Patres, qui stantes unus ab uno latere, alter ab altero, per signum crucis, lectionem Evangelii, *Loquente* Jesu (Marc. 16.) et duarum *Collectarum,* una in honorem *beatissimae Virginis* Mariae: *Concede nos,* etc. et altera *sanctissimi Patris nostri Francisci:* Deus *qui Ecclesiam,* etc. in momento omnes sanos dimittebant. Benedictus Deus, qui per manus pauperculorum servorum suorum tanta miracula operari dignatus est, Ordinemque nostrum sacerrimum tantopere honorare, gloriam suam suaeque sanctae Ecclesiae propagationem. Stabant attoniti boni Patres, uti et milites eorum comites, prae tantis prodigiis, Deum assidue laudantes; sed et per hos plura miracula eadem occasione Deus patrare dignatus fuit. Tanta erat copia miraculose curatorum, quod prae multitudine numerari non potuerit. Tantamque exinde populus ille erga salvificam Crucem concepit devotionem, ut statim quilibet eam in summitate tentorii vel tugurii sui collocarit, assiduamque sibi omni tempore et loco comitem deinceps habuerit. Sit Deus millies benedictus.

Ex dictis apparet, an inutiles ex sacerrimo Ordine nostro Verbi Dei ministri (hi

enim soli hactenus in vinea illa laborant et fructificant) de mandato Majestatis V. ad illas infidelium partes fuerint destinati. Apparet, an otiose panem suum comederint, qui nullis parcentes laboribus, nulla timentes pericula, tantae conversioni tam prosperum dedere principium, ut pauco tempore, in spatio solum centum leucarum, supra octoginta millia personarum de facto baptizarint, quinquaginta et amplius ecclesias et conventus fundarint: ultra quingentos mille Indos, in illis et adjacentibus provinciis, Majestati V. pacifice subjecerint, quos omnes ad sanctam nostram catholicam fidem (Deo propitio) conversos, assidue per catechesim ad baptismum suscipiendum disponunt. Apparet tandem, quanta sit haec mutatio dexterae Excelsi, qui tot diaboli mancipia, per humiles servos suos, suavi suo subdiderit jugo, et per vastas illas hactenus inaccessas Christicolis terras, ubi solus daemonum cultus vigebat, modo ab omnibus dulcissimum Jesu nomen devotissime invocetur, laus Dei et beatissimae Virginis Mariae omnibus loco salutationis mutuae in usu sit, templa, monasteria, cruces undequaque reperiantur. Sit Majestati V. summa consolatio, non dico quod tanti et tam praeclari ei thesauri materiales suppeditentur (hoc enim temporale et accessorium est), sed quod tanta pars inaestimabi-

lis thesauri meritorum ipsi competat; quando quidem regia sua munificentia et liberalitate dicta templa et monasteria aedificata sint, nobisque pauperculis servis suis necessaria suis temporibus subministrentur. Confido proinde futurum, quod sicut zelo et patrocinio V. Majestatis Dei regnum extenditur et propagatur, ita Deus et in terrenis suis regnis ipsi prosperitatem et pacem, et in coelesti gloriosissimam coronam concedet.

Regnum Quivira et Aixaos.

Prodigiorum et mirabilium, quae Deus per praenominatos binos Patres in nationibus *Xumana, Japies, Xabatoas,* aliisque adjacentibus operabatur, fama etiam ad regnum *Quivira* et *Aixaos,* 30 vel 40 milliaribus inde versus orientem distans, delata est. Qua permoti incolae suos eis legatos destinarunt nuntiantes, quod quando quidem similis mulier eis praedicabat et Patres advocare monebat, etiam ac illos accedere deberent, quatenus et ipsi debite instructi sacro Baptismate imbui possent. Promiserunt Patres, se ipsis non defuturos, prius tamen ad nostrum locum excurrere debere, tam pro pluribus cooperatoribus, quam aliis necessariis acquirendis. Venerunt itaque ad nos, comitantibus recenter missis legatis; qui

saepe saepius magnum suum ac suorum ad suscipiendum Baptisma desiderium cordiali affectu nobis recensuerunt. Spero nostros modo in illo regno versari sanctaeque conversioni illius initium dedisse.

Exercitia Religiosorum.

Religiosi nostri illis in partibus ita Marthae obsequiosam vitam instituunt, ut Mariae contemplativam adjungere non negligant. Martham imitantur, colendo et seminando terram, fabricando domos et casas; quibus paratis et collectis tot frugibus, aliisque sustentationi humanae necessariis, ut ad aliquot menses sufficere possint, advocant Indos circa illas partes incertis sedibus vagantes, quos postea simul ibi commorantes instruunt in doctrina christiana bonisque moribus, docent legere, scribere, cantare; hoc ita prompte addiscunt, quod plures tam brevi tempore illic habeamus instructos choros, sive concentus musicos. Docent eos insuper terram colere, sartoriam, fabrilem aliasque artes mechanicas, vitae civili necessarias, exercere etc. His et similibus sollicite intendunt et invigilant nostri Religiosi, ut paulatim incolae politice seu civiliter inter se vivere assuescant. Mariae partibus etiam non desunt: licet enim per functiones supra

tactas et similes plurimum distrahantur, insuper etiam administrationi sacramentorum, infirmorum visitationi, aliisque charitatis operibus, multum temporis impendunt (habet enim quilibet sibi commissa quatuor vel quinque oppida aut mansiones); claustralis nihilominus vita non intermittitur, surgunt enim noctu ad matutinum, horas diurnas, uti et Sacrum conventuale statutis horis celebrant; jejunia (etiam quod *benedictionis* vocamus) stricte servant; uti et omnia alia spiritualia exercitia: habent conventus suos ita mundos et polite dispositos, ut sanctuaria potius quam hominum habitacula esse judices. Haec et alia taliter Fratres tam apud Indos, quam Hispanos commendant, ut tanquam Angelos ipsos habeant et revereantur.

Ista obiter, pluribus omissis, tangere volui, ut Majestas V. aliqualem habeat notitiam qualitatis capellanorum suorum, qui in remotis illis mundi oris ac principiante ecclesia, pro ipsius salute assiduas ad DEUM preces fundunt, aliosque fundere docent et hortantur. Nullus quidem dubito, quin Majestas V. sanctum illius conversionis opus, tam feliciter suis auspiciis inchoatum, zelose prosequetur, monere nihilominus audebo, ipsam ad hoc etiam obligari; tam quia sancta Mater Ecclesia per Bullam Alexandri VI. CHRISTI Domini nostri

in terris Vicarii regna illa suae adjunxit coronae, quam intuitu tam singularis beneficii Dei quod immensos illos divitiarum thesauros Majestati V. manifestari permiserit: ad quorum fruitionem facile pertinget, si solum operarios illis eruendis necessarios et aptos eo destinari mandaverit.

Fr. Alphonsus de Benavides.

Magnificate Dominum mecum: et exaltemus nomen ejus in idipsum. Psalm. 33.

INDEX.

Acoma rupes 5. 40.
Adolphus Ardolphus 12.
Aër salubris 50. 70.
Aes campanum 68.
Aestas 54. 73.
Agreda (de) Maria venerabilis 7.
Agricultura 28.
Aixaos et Quivira regnum 81.
Alonso (Don) 67.
Aloysius de Parma Minister Generalis Fr. Min. 4.
America 5.
Annae (S.) oppidum 40.
Antonius (S.) de Padua in Senecu oppido 26. 28. 57.
» » » » » Sandia oppido 31.
» » » » » de Isletta oppido 31.
Animalia in Novo Mexico 52.
Antwerpia civitas 12.
Apache provincia et natio 27. — Eorum tuguria 54. — victus et vestitus 55. — Religio 55. — Polygamia 55. — Conversio ad fidem 56.
Apache supremus (Praefectus, capitaneus) 62. 64. 65. 66. 67. 68. 69.
Apache de Xila 56. 58.
Apache de Navajo natio 58. — Provincia 70. — Habitant in cavernis 59. — Mores eorum et conversio 60. 62. 68. 69. 70.
Apache del Perilo natio et provincia 27. 55.

Apache Vaqueros natio 70. — Provincia 71. 74. — Desiderant videre imaginem Matris Dei 72.
Aquaeductus apud Indos constructus a franciscanis 36. 37.
Argentina provincia franciscana in Germania 3.
Ascensione (ab) Mater Ludovica de Carrion 12. Vide: Ludovica.
Augustinus (Fr.) Bethancurtius (Vetancurt) Mexicanus, scriptor foecundus, 7. 8.
Auxiliatricis B. M. V. oppidum hispanice: del Socorro 28.
Ave Maria 50.

Baptismus (Sacramentum) 41. 67. 81.
Barbarae (S.) Vallis 22.
Barberini Franciscus Cardinalis, Protector Ord. S. Francisci 5.
Bella intestina apud Indos 46.
Bethancurtius. Vide: Augustinus.
Bergora (de) Fr. Petrus 5.
Bonaventura (de S.) Joannes 5.

Caeci nati oculi virtute S. Crucis miraculose aperiuntur 44. 79.
Canes 23.
Cantabria provincia franciscana 9.
Capoo oppidum 60.
Carrion urbs in Castella, regno Hispaniae 13.
Carrion (de) Ludovica Ordinis S. Clarae 7. 12. 13. 14. 15. 75. 76.
Castro (de) Fr. Petrus Isabellae Infantis Hispaniae a sacris Confessionibus 11. 12.
Cazique (capitaneus apud Indos) 62. 63. 64. 67. 69.
Ceralvo (de) Marchio Prorex Novae Hispaniae (Americae) 16.
Chilili oppidum 22.
Civezza (a) Fr. Marcellinus 7. 8.

Clara (Isabella Eugenia) Infans Hispaniae 16.
Claras Aquas (ad) Quaracchi 4.
Coloniensis Elector 3.
Concha natio 22.
Conchos flumen 22.
Convensus franciscani in Novo Mexico quinquaginta et amplius 80.
Cranendonck (de) Joannes 3. 6. 7.
Crux (Sanctissima) 76. 78.
Cultri 24.

Didacus (Fr.) Lopez 74. 77.
Didaci (S.) oppidum 37.
Dux quomodo eligitur apud Indos 47.

Ecclesiae et monasteria apud Indos a solis mulieribus, pueris et puellis exstruebantur et picturis ornabantur 48.
Elasco (Fr.) Franciscus 5.
Elector Coloniensis vide: Ferdinandus.
Escovar (Fr.) Franciscus 5.
Estrecho de Anian (Angustia) 55.
Evangelii (S.) provincia franciscana in Mexico erecta anno 1534. 4.
Eugenia (Isabella Clara) Infans Hispaniae 12.

Ferdinandus Elector Coloniensis 3.
Fertilitas terrae in Novo Mexico 51.
Fidei (S.), S. Fé, civitas in Novo Mexico, sedes Gubernatoris, 24. 34. 71. 73. — regio fertilissima 36. 60.
Fistula ad bibendum tubacum (herbam Nicotianam) 61. 62.
Fodinae auri apud oppidum del Socorro B. Mariae Virg. Auxiliatricis 29. 30.
Forma regiminis apud Indos in N. Mexico 28. 47.
Franciscus (Fr.) Elasco 5.

Franciscus (Fr.) Escovar 5.
Fridericus (Fr.) Raffl 4.
Flumen Septentrionale in N. Mexico 22. 23. 27. 31. 32. 36. 37. 38. 45. 53.

Germania 13.
Gladius ponitur super altare 68.
Goa sedes Archiepiscopalis in Indiis orientalibus 8.
Gorretas natio ita ab Hispanis appellata ob almutium, quo sua capita tegunt, quod hispanice *gorreta* dicitur 23.

Hemes natio 34. 37. 73.
Humana natio 7. 13. 33. 73. 74. 81.
Hiems 53.
Hieronymi (S.) oppidum 45.
Hispani 23. 25. 35. 40.

Isabella Clara Eugenia Hispaniae Infans 4
Isidori (S.) oppidum 33.
Isletta (de la) S. Antonii oppidum 31.

Japies natio 81.
Joannes. Vide: Cranendonck.
Joannes a S. Antonio 7.
Joannes de S. Bonaventura 5.
Joannes de Salas 74. 77. 78.
Joannes a Santandèr 9. 16. 17. 19.
Joseph (S.) oppidum 37.

Legumina 51.
Ludovica de Carrion Ord. S. Clarae 7. 12. 13. 14. 15. 75. 76.
Ludovici (S.) Episcopi oppidum 28, vide Sevilleta.

Madre Luisa. Vide: Ludovica de Carrion.
Magi Indiani 33. 42. 43. 45.

Maiz (Zea Maiz) hispanice: Trigo de Indias 51. 54.
Majorica provincia 9.
Mansos natio etiam Gorretas dicta 23. 25.
Marcellinus a Civezza 7. 8.
Marchio (de) Cerralvo 16.
Mare del « Zur » 55.
Maria V. Sanctissima 5.
Martinus a Valentia 4.
Mathias Weinsen 4.
Metalla 30.
Mexico Vetus 4. — Civitas 2.
Mexico Novum 5. 7. 21. 22. 23. 25. 27. 31. 45. 73.
Milites 45.
Miracula 26. 38. 40. 41. 44. 79.
Missae sacrificium 67. 68.
Monogamia 39.
Monia (la) santa. Vide: Ludovica de Carrion.
Mulieres construunt ecclesias et alias fabricas 48. — pingunt ecclesiarum parietes 49.
Mures 24.
Musica 32. — Musicalia instrumenta 68.

Opificia varia 32. 33. 34. 36.
Oppida apud Indos 27. 28. 29. 31. 32. 33. 37.

Padua (de) S. Antonius 28. 31.
Pagi apud Indos 36.
Paris Archiepiscopus Salisburgensis 3.
Parma (a) Aloysius Minister Generalis 4.
Paulus (S.) apostolus cum beatissima Virgine Hispanis et Indis apparet 5.
Pauli (S.) Custodia dein provincia franciscana in Novo Mexico 5.
Peccos natio et oppidum 34.
Perea (de) Stephanus 74.

Perillo (del) Apache natio et provincia 27. 55.
Petrus a Castro 11. 12.
Philippus IV. Hispaniorum rex 15.
Philippi (S.) oppidum nationis Queres 32.
Picuries natio et oppidum 38.
Pilabo oppidum B. M. V. Auxiliatricis 28.
Piros natio et provincia 27. 29. 31. 56. 73.
Piscium abundantia 53.
Planos natio 22.
Plateae in oppidis 27.
Praefecti oppidorum 49.

Queres natio 32. 40. 73.
Quinia capitaneus nationis Apache 56.
Quivira regnum 5.

Raffl. Vide: Fridericus.
Religiosi franciscani in Novo Mexico conjunctim vitam contemplativam agunt et activam 82. — aedificarunt 26 conventus et totidem ecclesias conventuales 28. 31. 32. 34. 36. — in pagis exstruxerunt alias 33 Ecclesias 31. 32. 34. 36. — penes conventus erexerunt 26 scholas, in quibus docebant populum legere, scribere etc. artes liberales et varia opificia 31. 32. 33. 34. 36. 82.

Sagitta apud Indos 61. 65. 66.
Salas (de) Fr. Joannes 74. 77. 78.
Salve Regina 68.
Salay (Mansuetus) 23.
Salineros natio 74.
Salisburgensis Archiepiscopus. Vide: Paris.
Sanaba capitaneus 56.
Sandia oppidum 31.
Santa Fé 73.

Santander. Vide: Joannes.
Scholae 31. 32. 33.

Senecu oppidum provinciae Piros 27. 28. 31. 36. 57.
Sevilleta oppidum 28.
Socorro (del) oppidum 27. 28. 29. 31.
Sol depictus cum Cruce sancta 57.
Statura Indorum 24.
Stephanus (Fr.) de Perea 74.
Sumas 22.
Superstitiones nupturientium apud Indos 46.

Tanos natio 33. 34. 73.
Tarahumares natio 22.
Teoas natio 60. 66. 68. 69. 73.
Tepeones natio 31.
Toas natio 31. 73.
Tobosos natio 22.
Tomites 22.
Tompiras natio 73. 74.
Tubacum (herba nicotiana) 61. 62.
Tuguriola Indianorum 23.

Vaccae Indianae 70. — earum pili, caro 71.
Vaqueros (Apache) natio 70. — desiderat videre imaginem Matris Dei 72.
Venatio apud Indos 53.
Viri apud Indos nent etc. 48.
Vestitus Indorum 24. 27. 28.
Victus 24.

Würtembergia 13.

Xabatos natio 81.
Xila (de). Vide: Apache.

Cum approbatione ecclesiastica.

297.89
B 456

AUTHOR
Benavides, Alphonsus de

TITLE
Relatio quam philippo IV catholico

297.89
B456

THE PROVINCIAL LIBRARY BINDERY
SAN ANTONIO DE PADUA MISSION
JOLON, CALIFORNIA